





Hist.
1
6











XXIII
DIETER.
de Aug. et
Tib





HISTORIA AUGUSTI ET TIBERII,

EDENTE


IOHAN. CUNRADO DIETERICHIO,

PROFESSORE GIESSENO.





GIESSÆ HASSORUM,
Typis & Sumptibus FRIDERICI KARGERI.





D. B. D.

OCTAVIANUS AUGUSTUS.

Ioh. Georg. & Iohann Henrich Nobiles à Seebach, Fratres Gemelli.

1. Nascitur Augustus IX. Kal. Octobris Anno Romæ conditæ DCXC. Marco Tullio Cicerone & Cajo Antonio Consulibus, Catilinaria tunc factione gliscente, nec non Syriâ à Romanis in provinciæ formam redactâ, Patre Octavio, Matre Attiâ.



Uugustum natum esse A. V. C. 6900. *Cosʃ. M. T. Cicerone & Antonio, IX. Cal. Octobr. paulo ante Solis exortum*, refert *Svetonius*; sed exciderunt *eidem cap.* 94 nonnulla verba, ex quibus commentatores communiter colligunt, Capricornum fuisse in Horoscopo, nascente Augusto; quod ad superiora non melius quadrare videtur, quàm si ad præsentem morem diceretur: Natus est aliquis Septembri Mense, cum celebraretur in Ecclesiâ Dei festum Epiphanias. Dubitat quidem de horoscopi certitudine *VVolffgang. Schopperus in Epist. ad Joach. Camerarium*; an, cum ratione? judicent illi, qui legerint ejus epistolam, quæ extat inter Epistolas varias à Camerario Lipsiæ editas pag. 198. *Rectè*, inquit, *scriptum esse à Svetonio, quod Augustus natus sit IX. Cal. Octobr. paulo* *Aug. c. 5. p. 69.*

ante

ante ortum Solis, credo; verùm de loco solis nihil certi inde colligi puto, multò minus de horoscopo. Sed Scaliger visus est sibi, pro horoscopo satis documentorum habere ex Suetonio, ex nummis argenteis Augusti, ex Cæsare Germanico in Arateis, qui videndus 5. *Emend. temp. f.* 433. tit. de initio Cæs. Augusti. Atque hîc nodus Gordius, quem eâ arte solvere tentavit Rothmannus *in Chiromantiâ suâ*, ut statueret Solem cum extremâ Virginis parte in Cuspide nonæ domus; unde patet eum existimasse, quòd Augustus natus sit horâ secundâ pomerid. d. IX. Cal. Octobr; nec observatione indignum est, quod idem *Rothmannus* habet hîc Lunam ultimæ quadraturæ propinquam. Magnus ille *Iosephus Scaliger*, ut solet excelsum ingenium luctari cum arduis, bis eidem nodo intentavit ictum. Prior est in ejus Comment. in Manilii Astron. Hic distinguitur inter tempus genituræ seu conceptionis, & inter tempus nativitatis; illi horoscopans asscribitur Capricornus; huic Libra. Quia partum decimestrem, cùm editur in lucem Septembri mense, oriente Librâ; mater conceperit mense Decembri, oriente Capricorno cum Sole; atque ibidem audacter affirmat, se scire quod Librâ horoscopante natus sit Augustus, quodq; Sol eo tempore fuerit in Librâ. Tandem ex doctrinâ de emend temp. hunc ejus doctrinæ fructum deprædicat ipse in *Epist. ad Casaub* quam *Casaubonus Suetonio* iteratæ editionis adjecit, ictum inanem fuisse intelligens, repetitum majori nisu intorsit, ac, hoc peracto, scribit: *Quare manifestum mendum est in Suetonio, non utique librarii, sed ipsius Suetonii, qui scribit natum paulo ante exortum Solis. Si Augustus natus est ante exortum Solis, Capricorno horoscopante, ergo natus est Sole Capricornum obtinente; & proinde natus fuisset mense Decembri Juliano, aut Ianuario, & consequenter non Septembri antiquo, sed Martio. Quod est absurdum. Augustus ergo natus est circiter XXI. aut XXII. Iulii, post Solem occasum, Sole ultimas partes cancri obtinente. Proinde ultimis partibus capricorni orientibus natus est, Sole occaso. Constet, Augusti Genesin cadere in Iulium mensem, siquidem natus est* Septembri *Romano; item nocturnam esse, siquidem Capricorno horoscopante.* Hæc Scaliger collegit *f.* 443. & ex hypothesi quâdam, & ex quibusdam nondum editis

Marginal notes: p. 132. — l. 2. p. 148. 13. & l. 4. p. 330. — 5. em. temp. tit. cit. f. 444

ditis (conf. *Epist. super.*) versibus *Cæsaris Germanici in Arateis* de Capricorno:

Hic, Auguste, *tuum genitali corpore numen*
Attonitas inter gentes, patriamq; paventem
In cælum tulit, & maternis intulit astris.

Ex his elicit *Scaliger* Augusti Nativitatem contigisse Capricorno horoscopante, tumultu Catilinario, noctu. Vult noctem indicari *Maternis astris*; & *Materna* poni pro *nocturnis*, quemadmodum à Poëtis ponitur *Mater siderum*, pro *Nocte*. Sed per materna astra commodius intelligere possumus heroas gentis Juliæ, quibus inseritur Octavius per Genealogiam maternam; Atiam enim, matrem Augusti, suscepit M. Atius Balbus ex Juliâ, sorore C. Cæsaris. Sic Domitiano Imp. tribuit *Astri* titulum *Statius*, ubi de Equo Domitiani ait: *Perpetuis frenis, atq; uni serviet astro.* Catilinarium tumultum accidisse demum post sesqui mensem à nativitate Augusti, vult *Calvisius ad A. M.* 3887. Ita parum præsidii relinquitur Scaligero in versibus, nescio unde productis. Examinemus etiam ejus hypothesin, quam breviter tradit: *Annus*, inquit, *Romanus*, *quò M. T. Cic. & C. Antonius consulatum inierunt, cœpit ab Octobri anni periodi Julianæ* 4650. Hæc ipsa verò latius explicat 2. *Em. temp.* tit. *de Veteri anno Rom. f.* 186. *Ianuarius* inquit, *vetus tunc* (A.V.C. 583. Consf. L. Æm. Paulo II. & C. Licin. Crasso) *cœpit XIII. Octobris Iuliani. Temporibus Ciceronis, cùm Iulius emendationem suam aggressus est, sine dubio idem fuit caput Ianuarii, nempe circiter XIII. aut XXIII. Octobr. Quare ita scribit*: Cura, mi frater, ut valeas, & quanquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites. *Scribebat XV. Kal. Mart. Sequenti Epist.* 4. *scribens post III. Eid. Mart.* Spero, *inquit*, nos ante hiemem contubernales fore. *Si Martius est hibernus, Januarius fuit autumnalis. Attico scribens post* Martium (8. ad Attic. 3.) infero mari nobis, incerto cursu, hieme maximâ navigandum est. *Ecce hiems maxima post* Martium. *Eodem libro* (est 9. ad Attic. 3.) Non esse nobis faciles ex Italiâ exitus, cùm ea tota armis præsidiisque teneatur, hieme præsertim. *Scripsit hanc post illam superiorem. Libro sequenti* (est 9. ad Att. 22.) *aut milites in hiberna deduci mense Aprili. Et libro* 5. (*ad Attic.* 14.) *à Sextili incipit putare menses a-*

Suet. c. 4. *p.* 69.
1. *Sylvar.* 1. *v.* 55.
fol. cit.
l. 2. *ad Q. fratr.* 3.

ſtivos. Tanto intervallo abfuit finis anni Romani à priſcis metis bruma. Poſtremo idem ſcribens (10. *ad Att.* 19.) *ex a. d. XVII. Kal. Iun. ait ſe aquinoctium moratum eſſe, quòd valdè perturbatum erat. Ut appareat illis temporibus, Ianuarium Romanum in Octobrem Iulianum incurriſſe.* Clauditur *tit. cit.* his verbis, *f.* 187. *Cùm igitur ex iis, quæ ſupra diſputata ſunt, pateat Ianuarium priſcum in Octobrem Iulianum temporibus ultimis conveniſſe; miraberis tamen Ciceronem* (16. *ad fam.* 8.) *Tironi ſcribentem menſe Novembri hibernam navigationem eo tempore timere, atque adeo ipſi Tironi interdicere, Novembri hiberno menſe, navigare. Quod quid cujusve modi ſit, quærendum relinquimus.* Hic diſſilire ſub manibus ſuis fatetur Scaliger telam, quam ad votum egregie texebat. Sed vitium rupturæ eſſe à Scaligero, doceant ſequentia. Ille (I.) Epiſtolas diverſis, & aliquantum remotis inter ſe, annis ſcriptas citat. Quippe illæ 2. *ad Q. fratr.* ſunt à Cicerone miſſæ primo poſt exiliũ anno, Coſſ. C. Corn. Lentulo & L. Marc. Philippo A. V. C. 697. Iſtam 5. *ad Attic.* 14. dedit Coſſ. Sulpicio & Marcello, A. V. C. 702. Conf. 5. *ad Attic.* 21. *circa med.* Reliquæ datæ ſunt Conſ. C. Cl. Marcello & L. Corn. Lentulo Crure A. V. C. 704. poſt fugam ex urbe ob adventum C. J. Cæſaris. Conf. 9. *ad Att.* 12. At hos annos confundere non decebat; quia initium anni ſemper inſtabile, ac modò Septembri, modò Octobri, modò Novembri Calendarii Juliani aſſcribendum fuiſſe creditur, teſte *Calviſ. Iſag. Chron. c.* 10. (II.) Non circumſpectè applicat hiemem, de quâ *Cic.* 2. *ad. Q. fratr.* 4. Ipſe *Cic. in præmiſsâ Epiſt.* ſcripſerat eſſe hiemem XV. Cal. Mart.; quomodo igitur ſperabit menſe Martio congreſſum ante hiemem. Præterea ſcribit in hâc 4. *Epiſt.* de ædificatione domus; quæ à tempore ſcriptæ Epiſt. producitur ad XIII. Cal. Octobr. ut conſtat ex 3. *ad Q. fratr.* 1. Hinc patet, hoc: *ante hiemẽ*, eſſe Ciceroni viſum ſignificantius, quàm ſi dixiſſet: *proximo autumno.* (III.) Non obſervat *in* 8. *ad Att.* 3. ſignificari, ſcriptam eſſe Epiſt. noctu, cum ecce literæ: Cæſarem ad Corfinium. Hujusmodi literas redditas ad XIII. Cal. Mart. teſtatur Pompejus apud *Cic.* 8. *ad Att.* 20. Scripta igitur eſt *Epiſt.* menſe Februario. (IV.) Abutitur catachreſi Ciceronis, quam monſtrant circumſtantiæ temporis. Jam defluxerant menſes Februarius & Martius

cum

cum hieme suâ, & instabat (ut tradit Scalig.) æquinoctium, adeoq; ver ipsum; quis duxerit in hiberna milites vere incunte? Mitius de hoc actu scripsit *Cæsar. Hic rebus confectis, Cæsar, ut reliquum tempus à labore intermitteretur, milites in proxima municipia deducit: ipse ad urbem proficiscitur.* Conf. *Ciceronem. 9. ad Att.* 18. (*V.*) Incautè dixit, apud Cic. numerari æstivos menses à Sextili; quia sub finem Julii exertè *Cic.5. ad Att.* 14. *Erat mihi in animo rectà proficisci ad exercitum; æstivos menses reliquos rei militari dare.* Et anno proximè sequenti videbimus euntem ad æstiva mense Majo, *Cic.6. ad Att.* 2. (*VI.*) Nimis avidè arripit locum Cic. de æquinoctio, dubium, obscurum, corruptum, à cujus castigatione temperare ipso sibi non potuit *Scaliger*; nec assererem æquinoctium accidisse istius anni mense Majo, nisi de isto mihi aliundè constaret; at diem nec determinare possum, nec ex hoc loco accipio. Calvisius, perspectâ, ut conjicio, argumentorum, quæ Scaliger attulit, imbecillitate, recipit se ad Eclipsin, quæ A. V.C. 690. Cons. Cicerone & Antonio, contigerit feriis latinis; ac ferias latinas vult celebratas statim primo mense, quando Consules magistratum inissent. vid. *Calvisius l. c. & ad A.M.* 3886. Sed tempus Latinarum feriarum non usque adeò exploratum est, ut putat Calvisius, id ergò ante confirmet, quàm nos Eclipsibus terreat. Conf. *Rosinus 4. Ant. Rom.* 17. Tradidimus generatim, quæ in examine Scaligerianorum argumentorum occurrebant; excutiamus nunc diligentius *Epistolas à Cic.* scriptas *A. V. C.*702. 703 704, ut pateat, quantum his fidere Scaliger debuerit. Cicero sortitus provinciam *A.V.C.*702. *Conf. Sulpit. & Marcell.* eam ingreditur prid. Cal. Sextil.; inde *Romam A. V. C.* 703. *Conf. L. Æmil. Paulo & C. Claud. Marcell.* ad IV. Cal. Sextil. recessurus. vid. *Cic.5. ad Att.* 21. *Annus V. C.*702. accepit à Cic. characterem geminum; 1. Etesias, circa Cic. navigationem. 2. hyemem, Decembri mense. Observavit enim *Cic.*15. *ad fam.* 11. in ipsos Etesias incurrisse navigationem suam; quæ facta est æstate 10. *ad Attic.* 13. mensibus Junii & Julii. 3. *ad fam.*4.5. *ad Att.* 9. & 12. absoluta ante Augustum 5. *ad Att.* 21. De Etesiis Plinius: *Ardentissime æstatis tempore exoritur Canicula sidus, Sole primam partem Leonis ingre-*

1. *Bell. Civil.* 7. p.255.

[f.187.]

2. *nat. hist.* 47. p.13.

diente: qui dies XV ante Augustas Calendas est. Hujus exortum diebus 8. fermè aquilones antecedunt, quos prodromos appellant, post triduum autem exortus, iidem Aquilones constantius perflant diebus 40. quos Etesias vocant. Conf. *Melam. 1. de Sit. orb. 9.* Sic percipimus Etesias diebus canicularibus devotos; & navigationem Ciceronis incurrisse in ipsos caniculares dies. Jam hinc proferat aliquis finem hujus anni, videbit necessariò sibi deveniendum fore ad Decembrem Julianum; quod hic sufficit. Et ad hanc rem conspirant reliqua. Ideò enim *Cic. 5. ad Att. 14.* scribit, se reliquos æstivos menses daturum militiæ; quia pars æstivorum mensium effluxerat, ante Sextilem. Ideò denique, cum ipsis Saturnalibus (circà medium Decembr.) se dedidissent Pindentissæ, oppugnati 57 diebus; dat Cicero Q. Fratri exercitum deducendum in hiberna agri malè pacati, in Ciliciâ. *Cic. 15. ad fam. 4. & 5. ad Att. 20.* nempè confectis æstivis; *Cic. 5. ad Att. 21.* ut intelligas, exercitum, nisi oppugnatio Pindentiss. moram fecisset, maturius fuisse dimittendum. Monendum hic est, mentionem brumæ fieri à *Cic. 3. ad fam. 7.* quæ elapsa sit ante Id. Febr. ut confirmabit collatio super. loci cum *Cic. 5. ad Attic. 21.* ubi scribitur ad Id. Febr. Apameense forum Laodiceæ institutum. Sed, quia certiora non suppetunt, malo eam brumam nulli adjicere anno. Sequatur *A.V.C.* 703. hyemis magnitudine, intercalatione, Etesiis & frigidiusculo Novembri insignis. De hyeme vid. *Cic. 2. ad fam. 14.* Intercalationem instituendam fuisse hujus anni mense Februario, produnt verba *Cic. 5. ad Att. 13. Illud,* inquit, *præfulci atq; præmuni, quæso, ut simus annui; ne intercaletur quidem.* Conf. *ibid. Ep. 21. in fine.* Eam tamen omissam fuisse docent Cælius ad *Cic. 8. ad fam. 6.* & *Dio l. 40. f. 167.* Ciceronis amici obtinuerant contra Curionem, non apparere intercalandi necessitatem illam, quam respicerent leges intercalationis hujus. Ita malo ego interpretari *Dionē l.c.* quàm eundem arguere ignorantiæ, quod facit *Calvis. ad A.M.* 3900. Dio enim indicat argumenta disceptantium de intercalandi necessitate. Ciceronianis in re manifestâ nil relinquebatur, nisi convitia; quibus Curio tum maximè oportunum se præbebat, cū amissâ causâ ad plebem transfugit, & pro Cæsare loqui cœpit. Hâc intercalationis omissione vitium illatum esse huic & sequen-

tibus

tibus annis, tandem apparebit. Cicero jam certus de abitu suo ad IV. Cal. Sext. constituit ad æstiva in Ciliciam ire Nonis Maji, ut ibi Junium in collocatione rei militaris consumeret; *Cic. 2. ad fam.* 13. *&* 6. *ad Att.* 2. Quintilem verò daret itineri per provinciam, rediturus Romam; 5. *ad Attic.* 21. essetque Athenis Septembri 6. *ad Attic.* 2. Itaque in castris a. d. X. Cal. Quint. accipit literas 2. *ad fam.* 19. &, cum nulla causa esset, quin ad diem decederet 2. *ad fam.* 17. tandem, imperio annuo terminato, decedit metuens moram ab Etesiis *Epist.* 15. *l. c.* intereà navi accedit ante d. III. Non. Sext. ad Sidam. 3. *ad fam.* 12. De Sidâ confer. 3. *ad Fam.* 5. *&* 6. Post complures dies, Epheso conscendens navim Cal. Oct. scribit: *Nos Etesiæ vehementissimè tardarunt. Detraxit* (hoc co- non alii aliter legunt) *viginti ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum* *Cic.* 6. *ad Att.* 8. & *in præced. Epist.* scripserat: Rhodum volo, puerorum causa: inde quamprimum Athenas; etsi Etesiæ valdè reflát. Hîc Etesias, adeoque Caniculares habet Sextilis seu Augustus. Nec aliud suadet frigus Novembris, de quo Cicero 16. *ad fam.* 7. Corcyrâ ad XVI. Cal. Decembr. Tironi ex morbo decumbenti Patris: *cum commodè & per valetudinem &* per anni tempus *navigare po. eris, ad nos - veni.* Sequens Epist. hoc anni tempus ita exprimit, ut indicet hiemem & frigus, quod vix in ipsis tectis & oppidis, nedum in mari & viá, infirmâ valetudine vitetur. Tempus quidem asscriptum huic non est, ut præcedenti; nulla tamen ratio tam valida apparet, quæ hanc Novembri avellat. Succedat

A. V. C. 704. *Cons. C. Claud. Marcell. & L. Corn. Lent. Crure.*

Hic annus superiori 22. dierum intercalationi adjicit alios 11. dies, quo fit, ut cuncta anni tempora deinceps sensibilius transferantur in alienos menses. Insignitur 1. hieme Januarii, Februarii, Martii. 2. æquinoctio mensis Maji. *Prid. Id. Ian.* hiems est in 16. *ad fam.* 11. sed IV. Cal. Febr. Tironem suum rogat, ne hieme naviget, & tantâ quidem hieme, ut putet suas literas ob hiemis magnitudinem non perferri ad Tironem, *Cic.* 16. *ad fam.* 12. Circa *Non. Febr.* de hieme & maximo imbre conqueritur *Cic.* 7. *ad Att.* 19. vocat hanc hyemem maximam 8. *ad Att.* 3. propter anni tempus castra se facere posse negat Pompejus apud *Cic.* 8. *ad Att.* 19.

de

l.41.f. 177. De hâc hieme ſcribit Dio: *ἤδη ἐκ μετοπώρου ἦν, jã autumnũ egreſſa erat.* De hieme Martii menſis vide *Cic.* 8. *ad Att.* 25. *&* *l.* 9. *Ep.* 3. de Aprilis tempeſtate eſt in *Cic.* 10. *ad Att.* 6. Atque iſta hiems accedens ad augmentum dierum, de quibus ſuprà dictum, nos adducit, ut eò lubentius aſſurgamus *Scaligero & Calviſio*, qui æquinoctium *Ciceronis* propriè accipiunt pro ipſo æquinoctii die; quò pauciora videmus argumenta relinqui Turnebo & Gothofredo, interpretantibus æquinoctium de ſpatio, quod eſt inter æquinoctii diem & Vergiliarum ortum. Accedit, quod ſuis navigationibus adverſum non tantum *æquinoctium*, ſed & *æquinoctii diem* vocet Cæſar. Arripuit Cicero quamvis morarum cauſam, tantum ut veram tegeret; quam detexit ipſe *Cic.* 10. *ad Att.* 7. nec magis navigandi metu, quam ſimulandi & diſſimulandi verſutiâ vacabat. Conf. *Cic.* 10. *ad Att.* 13. *&* 6 *ad Att.* 8. Ex recitatis apparet, quàm lubrica ſint, pro cauſâ Scaligeri adducta, teſtimonia; quamque parum certus eſſe de loco Solis potuerit *Scaliger* contra *Svetonium*. Quare, excuſsâ ſecuritate, quâ olim admirabatur hoc Scaligeri inventum *Caſaubonus*, operam dabimus impoſterum, ut ſolidiora circa ipſum nativitatis Auguſti annum conquiramus argumenta, ac tum demum de Svetonio ſtatuamus, quod rei evidentia imperabit; intereà conſultius erit, quidvis moliri, quam temere caſtigare autorem. Ingentes tamen debemus divino viro grates, quod auſu, plusquam herculeo, præire, nobisque viam ad veritatis lucem monſtrare in incomparabili de Emend. temporum ſuo hodegetico voluerit; & abundè gratos illi nos exhibebimus, ſi, quæ ille quærenda reliquit, diligentius indagaverimus. Ac forte non parum lucis huic negotio afferet *Cicero*, ubi: *Veruntamen*, inquit, *quid ſibi iſti miſeri volunt? num ſuas ſecum mulierculas ſunt in caſtra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his præſertim noctibus? quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas, ac nives perferent? niſi idcirco ſe facilius hiemem toleraturos putant, quod in conviviis nudi ſaltare didicerunt.* Videntur hic eſſe optima indicia pro medio autumno; unde proclive eſſet dicere, Auguſtum natum poſt dies caniculares, non (ut volunt Scalig. & Calviſ.) ante eos. Sed meliora expectare præſtat, quam præcipitare ſententiam. Supereſt, ut pauca de themate Genethliaco adjiciam;

10 *ad Att.* 19. 18 *Adv.* 10. *col.* 546. *Not. ad Cic.* *de bell. Gall.* 4 7. & 5. 7. *ad Suet. Auguſt.* c. 5. 2. *Catil.* *col.* 454.

jicia; idq; primùm ex peritiâ Mathematici tunc celebris *Nigidii Figu-*
li, de quo testatur Dio, quod cognitâ nati Augusti horâ affirmârit: *l.45.f.*
Dominum terrarũ orbi natũ: eadéq; refert Suetonius, addens: quod 306.
Apolloniæ Theogenes Mathematicus, visâ Augusti geniturâ *exsilie-* *in August.*
rit, eũq; adorârit. Tantũ etiã sibi placuit in virtute cõstellationis Au- *c.94.p.*
gustus, *ut*, Suetonio itidem teste, *thema suum vulgaverit, nummũ-* 174. *p.*
que argenteum notâ sideris Capricorni, *quo natus, percusserit*. Ve- 150.
rùm postquam hæc omnia interciderunt; unde, quamdiu locus
Solis inter incerta est, Thema? Autorum en conamina! In conje-
cturis subsistit *VVolffgangus Schopper*, inquiens: *Quare* de loco *ubi suprà.*
solis *tempore nativitatis Augusti pronuntiare non possumus. Nisi de*
illo conjecturã capere placeat, quod Manilius ait, Capricornum tunc
fulsisse in ortu, cum Augustus nasceretur. Quodq; Maro videtur si-
gnificare, in medio cœlo signum Libræ fuisse, his versibus:

Tibi brachia contrahit ingens
Scorpius, & cœli justâ plus parte relinquit.

Manilium explicans Scaliger imputat Poetæ dissidentes de the- *comm. p.*
mate Augusti sententias. Sed luculentam ei facit injuriam. Credas 148. *&*
commentarium istum à primo ætatis fervore extrusum; adeò scatet 330.
castigationum facilitate. Calculo Astronomico nixus, Castellanus
quondam Astrologus, *Rothmannus* ponit horoscopum in Capricor-
no; in cuspide Nonæ domus Solem, Mercurium, Martem, & Vene-
rem, intra sex gradus ita collocatos, ut Venus sit in tertio gradu Li-
bræ, reliqui in extremâ parte Virginis. Jupiter eidem est sub Leone.
Saturnus sub Ariete; Luna sub Geminis. Nimis crudum est, quod
Johannes *Manlius* nescio ex cujus ore: *Augustus*, inquit, *habuit*
Capricornum ascendentem in horoscopo. Vespasianus quoq; habuit *in collect.*
Capricornum. Noster Imp. Carolus V. etiam habet Capricornum *p.420.*
ascendentem in horoscopo. Regula communis habetur: Omnis habens
Capricornum in horoscopo ascendentem, facit mutationem in Imp.
Romano. Dicitur enim esse fatale signum in mutationibus Impe-
riorum. Longè elegantius est de Caroli V. themate judicium
Junctini *in specul. Astrolog.* ibi videat, qui volet. De horoscopo *p.238.§.*
in Capricorno, confer Johan. ab Indag. Astrolog. natural. *posteà.*
p.137. Dum his Genethliacorum minutiis intenti expendimus Au-

Thebaid. fine: gusti potentiam, subit memoriam illud *Senecæ: Simul ista mundi conditor posuit Deus, Odium atque regnum.* Quamobrem levi operâ explorantes, hominum ergà Augustum animos, invenimus hos illius amantissimos; namque Italiæ quædam civitates diem, quo primum ad se venisset, initium anni fecerunt, teste Suetonio.
cap. 59. p. 119. Romanus verò populus, Dione docente, instituit Augustalia, *l.54 f.604.*& 624. celebravitque natalem ejus *l.51.f.522.* in autumno *l.56.f. 672.* datâ, spectandi & epulandi cum aliis, veniâ cælibibus (τοῖς τε ἀγύνοις καὶ τοῖς ἀνάνδροις) quoque *l.54. f.621.seq.* celebravit autem prius venationibus in circo & variis urbis locis *l.54.f.623. seq.* postea perennibus ludis equestribus *l.55.f.632.* tandemque jussit, ut Natalitiis ludis Consules, quod in Martis fit, præmia certaminum proponerent; Augustalia tribuni plebis, quia ipsi quoque sacri, celebrarent; & hi quidem omnia reliqua eo, quo consueverant fieri, more peregerunt, veste triumphali, ludis Circensibus usi, currum tamen non conscenderunt. *l. 56.f.688.* Ac fortè huc pertinent anni Augustorum, sc. ab Actiacâ victoriâ, de quibus *ex Dione* plura tradit *Calvis.c.45.Isag. Chron. f.152.* De Ærâ Hispanicâ consule *Strauchen Brev. Chronol.c.9. q.2.p.113.seqq.Scalig.5. Emend. temp.f.445.seqq.*& Vossii Etymologicon p. 11. qui emendat Scaligerũ, censens ingeniosam esse conjecturam, quæ ex compendio Scripturæ A.E.A.R: *Annus erat Augusti,* eliciat. Ast cum *Suetonius*
cap. 81. p.137. suggerat, Augustum *sub natalem suum plerumque languisse* hic in mentem venit, in quantum hæc te, lector, jam pertraxerint languorem. Quare abrumpimus, ut te porro integrũ relinquamus historiæ Augusteæ; quam qui nescit, parum noverit in reliquis Imperatoribus; nemo etiam docere poterit aptè reliquos Cæsares, est enim hæc tota Augusti historia multarum maximarum rerum ferax fundus, quam cognoscere omnes, utile est & studiis Politicis & moribus. Has autem delitias & amœnitates circa originem Augusti in antecessum dedimus optimo consilio Cl. Dn. Collegæ Friderici Môlleri, Mathematum Professoris, ad quem nostra desideria retuleramus, qui promtè, qua est in nos facilitate, obscuriora detexit; suamque sententiam suppeditavit. Plura autem se offerunt suis in locis opportuniùs reddenda.

2.Eque-

2. Equestri familiâ prognatus, Octavii Patris maturo excessu Matris Atiæ & L. Marcii Philippi Privigni, curæ relinquitur.

HIstorici non facilè solent, maximè Suetonius, nominare Imperatores cùm constituuntur, nisi commemoratâ etiam origine Parentum, ut etiam sciatur in iis, quos recensent, quibus Majoribus prognati præcellant, quomodo Majores in familiis & ordinibus se habeant, quorumque nesciatur certior series. Ingens est copia rerum in Augusti historiâ, quas summatim, & pugillo quodam exhibere, difficilius videtur quàm explicatus dare. Præivit insigni compendio Suetonius, quem *mirâ diligentiâ & arte cõtexuisse* Augusti tam dicta quàm facta cum Cl. Bœclero sentiendum, licet non-nemo Vir clarus frigidiusculè censeat. Nec segnior in hâc historiâ diligens admodum scriptor Dio, qui tradit se commemoraturum omnia necessaria, ut ab aliis essent indicata, suâ nonnunquam apposita *δοξασίᾳ* sive *opinione*. Quibus addendi disparis longè ingenii Historici *Appianus* & *Vellejus*, cumque ille *effusior*, hic *concisior* scribat, *facilius cujusque rei in unum contractam speciem, quàm divisam temporibus, oculis animisque inhærere*, eo se modo Augusti vitam traditurum per summam, *neque per tempora, sed per species*, Suetonius promisit; prudentique is consilio *Majorum Octavii Augusti* non modò nomen & memoriam, sed etiam animi & virtutum effigiem producit ipso historiæ initio, ut inde commemorationi reliquæ facem adluceret in hæc orsus verba: *Gentem Octaviam Velitris præcipuam olim fuisse, multa declarant.* Familiam Octaviã Velitris vetustissimo Volscorum oppido fuisse *præcipuam* ex multis declarari posse scribit. Adfuit itaque stirps clara nobilitasque familiæ, quæ majorem lucem accepit in Octavio Augusto, qui egregiis Majoribus ortus vivida virtute penetravit ad altissima summaque dignitatum. Familia autem illa Octavia, cùm inter Volscos Velitris esset præcipua, à Rege Romanorum Tarquinio Prisco primùm Romam traducta, in urbe non minus stirpe quàm ho-

Dissert. ad Suet. p.26.

lib.53.p.584.

Vellej. I.14.I.

c.9.p.72.

c.I.p.66.

nore inclaruit, de quo porrò Suetonius: *Octaviorũ gens à Tarquinio Prisco Rege, inter Romanas gentes allecta* in Senatũ, *mox à Serv. Tullio* in Patritias *transducta, procedente tẽpore* ad Plebem *se contulit; ac rursus magno intervallo per D. Iulium* in Patritiatum *redit*. Mira vicissitudo à Patritiatu ad Plebem, & vicissim à Plebe ad Patritiatum, cujus rei causas exquirunt Sigonius 1. de antiquo jure Civium Rom. 7. pag. 39. Panvinius de antiq. Rom. nominibus pag. 48. utque suus honor genti magis constet, Patritiorum numero per Julium aucto adscitus Octavius, quem mox ab indutâ toga virili, quæ ei ex utraqua parte non sine omine ad pedes deciderat, allectum fuisse a Julio in Patritiorum ordinem Dio notat, lib. 45. p. 307. ajens, ὁ Καῖσαρ μεγάλα ἐπ' αὐτῷ ἐλπίσας, ἔς τε τοὺς Εὐπατρίδας αὐτὸν ἐσήγαγε, *Cæsar in magnam spem adductus ad Patritiam gentem reducebat*. Dictos novimus *Patricios* à *Patribus*, h. e. Senatoribus, quia *Patrum* essent *progenies*, ut ait Livius; de quorum ortu & instituto, itemque dignitate, Sigonius legendus. Ordines in Civitate erant tres, *Senatorius, Equestris*, *Plebejus*. Medius inter Senatorium & Plebejum *Equester ordo* suis etiam gradibus distinctus, quæ illustris societas erat tanquam seminarium, tum Officiorum & Munerum togatorum; tùm verò maximè sagatorum, ut Equos & arma pro Rep. semper haberent parata. Equitum verò genera duo, alii Equo publico merebant, alii sine eo. Equitibus *militares equos* nomen dedisse notat Plinius 33. 1. p. 461. Equitum quippe nomen propriè subsistebat *in turmis equorum publicorum*; & equitare dicebant antiqui, *equo publico merere*; de quo munere Sigonius 2. de antiquo jure pop. Rom. 3. p. 89. 90. 91. Lipsius 1. Mil. Rom. 5. p. 32. 33. Ordinis equestris insigne, *latus clavus* & *annulus*. Annulo aureo à plebe distinguebantur, de quo Kirchmannus de Annulis c. 15. p 137. 138. Angusto clavo à Senatoribus, quorum ornamentum in vestitu erat *latus clavus*, de quo Sigonius 3. de Judiciis 19. p. 527. Lazius 8. Reip. Rom. 4. p. 704. Trabeati etiam erant, cùm transveherentur ab Honoris sive Martis Templo ad Capitolium, propriâ Equitum pompâ, de qua transvectione Lipsius 1. de Milit. Rom. 5. pag. 33. 34. Discrimen inter Equites ratione ætatis, famæ, censûs unde illi tituli, *Illustres, Splendidi, Insignes*, exponit Lipsius ad 11. Annal. Taciti p. 166. In illustri hoc & splendido ordine Equitum

lib. 1. *dec.* 1. *c.* 8. *p.* 3. 1. *de Iure Civ.* 7 *p.* 35. *seqq.*

erat

erat ea familia Octavia, quæ à *Cajo* originem ducebat; divisa quip-
pe ea gens Octavia in familias duas, quarum una caput habuit *Cne-
um*, altera *Cajum*, sed conditione diversa; siquidem, narrante Sue-
tonio, *Cneus, & deinceps ab eo reliqui omnes, functi sunt honoribus
summis; at* Cajus *ejusq; posteri, seu fortunâ, seu voluntate*, in Eque-
stri Ordine *constitêre usque ad Augusti Patrem* C. Octavium, qui è
familia Cajorum & *re* (id est, divitiis & opulentia) & *existimatione*, c.3.p.68.
magna fuit. Prætor Macedoniæ, eo tempore, quo Q. Cicero Asi-
am administrabat, functione sua usus *non minore justitia quam for-
titudine*, quemque eo nomine in exemplum proponit M. Tullius
Cicero Q. Fratri, teste Suetonio. Verba si requiris Ciceronis, sunt
1. ad Q. Frat. Epist. 1. col. 567. *Adjungenda est facilitas in audiendo,
lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. His re-
bus nuper* Cn. Octavius jucundissimus *fuit; apud quem primus li-
ctor quievit; tacuit accensus; quoties quisq; voluit, dixit, & quam ve-
luit diu.* Idem rursus lib. 1. ad Q. Fratr. Ep. 2. col, 574. *Et mediocri
me dolore putas affici, cùm audiam, quâ sit existimatione Virgilius,
quâ tuus vicinus Cn. Octavius?* Memoria hic tenendum *modestum*
hoc è proximo exemplū, ut cū Tacito loquamur; nec nō elogiū, quod 2.Hist.
Vellejus gravibus verbis fecit: *Fuit Cajus Octavius*, ut non patricia, 64.
ita admodum speciosa Equestri *genitus familia, gravis, sanctus, in-* 9.p.59.
nocens, dives. Fortunæ sic beneficium animi donis ipse antevertit, *ob
quæ ipse* Prætor *inter nobilissimos Viros creatus primo loco, cum ei di-
gnatio Iulia genitam Atiam conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus
Macedoniam, appellatusque in eâ* Imperator, *decedens ad petitionem
Consulatus obiit, prætextato relicto Filio*. Filius tunc *prætextatus* sub
Pædagogo relictus, prætexta veste in ætate adhuc puerili vestitus,
quam qui gestarent togam, purpureo prætextam limbo, *prætextati*
vocabantur, qua se exuebant anno ætatis XVII, quo tempore O-
ctavius à Cognatis & Amicis deductus in forum, ut virilem togam
sumeret; nam quadrimus Patrem amisit; *duodecimum annum
agens* Aviam Juliam pro concione laudavit; quadriennio pôst
Virilem togam sumsit, teste Suetonio. Iverat per honorum
illustres gradus Octavius pater, quos & *adeptus est facile & egre-
giè administravit*. Adjumenta honorum erant ornamenta egregia- c.8.p.71.
rum virtutum. Præturam Macedoniæ sortitus fuerat, succedens C.

Antonio, Viro Consulari. Provinciæ præerat insigni justitia & fortitudine. Candidatũ consulatûs se professus fuisset, nisi mors impedivisset, nã *decedens Macedoniã, priusquã consiteri se Candidatum Consulatus posset, morte obiit repentina.* Præclara opera Octavii bello contra Spartacum usa erat Respublica, ubi residuam manum *fugitivorum* ut Suetonius loquitur, *Thurinum agrum tenentium, in itinere delevit, negotio sibi in Senatu extra ordinem dato.* Honorum itaque gradus diversi fuêre, qui faciunt ad generis familiæque Octavianæ defensionem; ut jure *miretur* Suetonius sinisteriora judicia; quæ simul delebit memoriæ Patris erectus & relictus lapis, officia enumerans:

c.4.p.69.

Fulv. Vrsinus Not. in Cicer. p.151.

C. OCTAVIUS. C. F. C. N. C. PR.
PATER AUGUSTI
TR. MIL. BISQ. ÆD. PL. CUM.
C. TORANIO JUDEX QUÆSTIONUM,
PR. PRO. COS. IMPERATOR APELLATUS
EX PROVINCIA MACEDONIÆ.

Pater itaque ex illustri familia *Octavius* vir Equestris & Senatorii Ordinis Filio & honorem reliquit & nomen, unde nonnulli *Octavianum* nominant. Audiatur Suetonius c.2. p. 68. *Ipse Augustus nihil amplius quàm* Equestri familia ortum *se scribit; vetere ac locuplete, & in quâ* primus Senator *Pater suus fuerit.* Equestris dignitatis in memoriam Equites Romani, ut gratiam facerent, quotannis *natalem Augusti sponte atq; consensu, biduo semper celebrarunt.* Nec Equestris solùm Ordo annuâ recursione recolebat; sed & Collegia Urbis eum celebrarunt diem Prætoris opera adhibita, Dione teste, Venatione, & Circensibus ludis. Existimationis verò jactura nulla ex cognomine *Thurini*, quod prius Augusto impositum, & quidẽ *recens nato*, Suetonius docet, idq; eo conjectante, vel *in memoriã Majorũ originis;* vel *quod in* regione Thurina *recens eo nato Pater Octavius adversus fugitivos rẽ prosperè gesserat.* Nominatus hinc per contumeliã *Thurinus* ab Antonio in Epistolis ætate Suetonii adhuc extantibus, quibusq; Natales & Majores Octavii obscurare voluit obtrectator frustra; nã de iis similibusq; dicacibus scriptis Cremutius Cordus apud Tacitũ: *Antonii Epistolæ, Bruti cõciones, falsa*

Sueton. c. 57. p. 117.

lib. 54. p. 617.

4. A. 34. II.

quidem

quidẽ in Augustum probra, *sed multa cum acerbitate habent.* Nec hinc mutatus Octavius, qui nihil amplius quàm *mirari* se rescribit, pro *opprobrio nomen prius*(quod infans habuerat, pridẽ a. habere desierat) *sibi objici.* Sic alta mente dissimulabat injuriarum sensum, atque contemnebat temeratorem nitentis Majorum originis natalisque sedis; & certè leviusculum fuit, quod Antonius incunabulorum locum in argumentum invidiæ faciendæ torqueret, temerarium verò, quod generis novitatem & obscuritatem obtentui haberet. Originem Thuriorum, non ita obscurorum eorundemque ad Romanorum confugium ob Lucanorum detrimenta à Tarentinis illatà, docet nos Strabo, cujus verba ùltima sunt. Θούριοι δ' εὐτυχήσαντες πολὺν χρόνον ὑπὸ Λευκανῶν ἠνδραποδίσθησαν. Ταραντίνων δ' ἀφελομένων ἐκείνους, ἐπὶ Ῥωμαίους κατέφυγον. *Thurii cùm diutius fortunatam duxissent ætatem, tandem in Lucanorum servitutem. tracti sunt, cumque illos Tarentini destruerent, ad Romanorum tutelam confugerunt.* Paucissima hodie vestigia superesse Thurini notat Leander Albertus Italiæ descript pag. 338. Consederant Majores Augusti in pago Thurino; inde ei proavum maternum exprobrat Antonius apud Suetonium *Afri scil. generis* fuisse, ex *unguentaria taberna, & pistrino Aricino.* Imò proavum paternum ei exprobrat libertinum ex pago Thurino *Restionem*, Avum *Argentarium nec quicquam ultra de paternis Augusti majoribus reperi* Suet. c. 2. p. 68. Nec hoc contentus dicere, incessebat etiam Maternam stirpem, de quo idem: *Despiciens etiam maternam Augusti originem,* proavum *ejus* Afri generis *fuisse & modò* unguentariam tabernam, *modò* pistrinum *Ariciæ exercuisse objicit.* Taxabat hinc eundem Cassius Parmensis, ut *Pistoris & Numularii nepotem.* Ab his injuriis vindicavit stemma Suetonius, nam quum dixisset Cajum ejusque posteros in Equestri Ordine constitisse usque ad Augusti Patrem, de *Proavo Augusti* memorat secundo bello Punico Æmilio Pappo Imperatore stipendia in Sicilia fecisse, tumque *Tribunum Militum* fuisse. De Avo vero: *Avus municipalibus Magisteriis contentus abundante* Patrimonio *tranquillissimè senuit.* Dignitatem etiam attulit Mater *Atia*, quæ filia M. Atii Balbi & Juliæ C. Cæsaris sororis, è quibus genitus non sine celebritate fuit, nam Balbus, *paterna stirpe* Aricinus, *multis in familia* sena-

Suet. 7. p. 71.

l. 6. p. 182.

c. 2. p. 64.

ſenatoriis imaginibus, à matre Magnum Pompejum arctiſſimo contingebat gradu, honoreque Præturæ functus fuerat. Neque huic originì maternæ pepercit Antonius, *matrem Aricinā* objiciens, quaſi ignobili oppido Latii ortam, cui reſpondet Cicero: *Quis con-*

Philip. 3. col. 860. *temnat* Aricinum municipium, *vetuſtate antiquisſimum, jure fœderatum, ſplendore municipum honeſtisſimum. Inde* Voconiæ *hinc* Scatiniæ leges; *hinc multæ ſellæ curules, & Patrum memoria & noſtra; hinc* Equites Romani *lautiſſimi plurimi & honeſtisſimi.* Poſtea de Matre & Avo: *Hujus ſanctisſimæ fœminæ atque optimæ Pater M. Atius Balbus, inprimis honeſtus, Prætorius fuit.* Probrum cum acerbitate fuit, quod Proavum maternum *Piſtorem Aricinum* vocat, nam *deſpiciens maternam Auguſti originem Proavum ejus A-*

Suet. c. 4. p. 69. *fri generis fuiſſe & modo* unguentariam tabernā, *modo* piſtrinum Aritiæ exercuiſſe *objicit.* Nulla turpis ratio naſcendi fuit, Aritiæ naſci, cujus civitatis in Latio ſitæ mentionem facit honeſtam Virgilius inquiens:

7. Æneid. v. 760.

> *Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello*
> *Virbius, inſignem quem* Mater Aricia *miſit.*

p. 1247. Quo loco Servius annotat, Ariciam matrem vocare Poetam propter Auguſtum, qui matre Actia Aricina natus eſſet, ac ſi diceret, Aricia, quæ Auguſti, maximi Viri, matrem genuit, unde Blondus Ital. illuſtrat. p. 319. *Servius dicit*, Aritiam *à Virgilio appellari* matrem, *ut plauderet adulareturque Auguſto, cujus mater fuerit Aricina; nam Iulia, Cæſaris ſoror, genuit Actiam ex Balbô in Aretia, & Actia ex Octavio genuit Octavianum.* Aricia nunc fere deſerta, te-

Ital. p. 217 ſte Alberto, & Rizzo vocatur. Auxit gloriam Auguſti, quod ejus

Suet. c. 7. p. 71. fuerit Julius Cæſar *major Avunculus*, quia erat *Aviæ Frater*, nempe *Iuliæ*, ex quâ genita eſt Atia mater Auguſti; quomodo *Patruus magnus* eſt Avi Frater. De ſuo autem genere Julius Cæſar, apud Suetonium: *Amitæ meæ Iuliæ maternum genus à Regibus ortum, paternum*

in Jul. c. 6. p. 4. *cū Dîs immortalibus conjunctum eſt, nam ab Anco Mario ſunt Marcii Reges, quo nomine fuit Mater à Venere* Julii, *cujus gentis familia eſt noſtra.* Unde eſt, quod Auguſtum, tanquam Veneris adgnatum, laudat Virgilius in Sexto Æneidos.

Hic

Hic vir, hic est, Tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar, Divi genus. (alii: *Divûm genus.*) v.793.

Augustus Cæsar, *Divi genus* dicitur Maroni, uti rectè correctiora
exemplaria habent Raphelengii, Comelini. *Divus* a. dicitur Ju-
lius Cæsar, quem post obitum *Divi* nomine insignitum constat,
eôque de nomine agit Barthius. Qui altius ire desiderant, tanquam ad Stat.
in Divûm genus, Æneam sciunt Veneris scribi filium, Æneidas a. lib.2.
dici Romanos, nam Æneas, juxta divinum Poetam, *Romanæ stirpis* p.258.
origo. Inde Imp. Justinianus Novellæ Constitutionis XLVII. Præ- 12. Æn.
fatione: *Si quis respexit ad vetustissima hominum & antiqua Rei-* v.166.
publicæ, Æneas *nobis Trojanus Rex, Reipublicæ Princeps; & nos qui-*
dem Æneidæ *ab illo vocamur*. Æneas a. Anchisa & Venere progna-
tus *Simoentis ad undam*, Virgil. 1. Æneid. v. 622; unde Venerem vo-
cat Arnobius *Æneadum & Romanæ dominationis auctorem*; quin lib.4.
& Ciceronem è partus fælicitate *Iunonium puerum & Patriæ Pa-* p.180.
ridem futurum notasse Augustum annotat Robbigius. Itaque Bio- Codic.
nis versum Augustus de se suoque Patre atque Majoribus contra Critic.
Antonium poterat usurpare: lib.6.c.4.

Ταύτης τῆς γενεῆς, τούτου πατρὸς εὔχομαι εἶναι. p.251.
Hujus me esse Patris, generis me glorior hujus. 253.

Quâ igitur fronte Antonius, tanquam scurra aliquis è vulgo, Au-
gustum traducit *hominem novum*, qui imaginibus & stemmate lon-
go gloriari nequeat? Anné Antonius nescius suæ domus, suorum-
que vitiorum? Dioni scribitur ἰσχυρότατος ἐξ ἀσθενεστάτου, καὶ πλου- lib.51.
σιώτατος ἐξ ἀπορωτάτου γινόμενος, *quod variis artibus ex infirmissimo* p.519.
potentissimus, ex pauperrimo ditissimus fuerit factus. Quàm verò
inanis gloria generis & stemmatis in Antonio, Virtute absente!
Aderat autem in Augusto & stemma nobile, & vera nobilitas in
virtute. Utroque inclarescere studuit; nulli se de generis nobilita-
te præponere voluit, neque humiliore se loco natos contemsit; ipse
sensitque tandem Antonius suo damno Augustum magis nobilio-
rem, quàm seipsum, qui leviter & sordidè vitam transegerat. Nobi-
litas tunc nobilis est, si clara est virtutibus, sine quibus frustra ali-
quis sibi de nobilitate generis applaudit. Qui gloriatur de Nobili-
tate, absente virtute, gloriatur alienis bonis. Non generi tribuen-
da, sed virtuti gloria Majorumque gloria t virtutibus propaganda.

Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? ait Juvenalis Sat.8.v.29.

Nobilitatem generis æstimabant Romani ex imaginibus Majorum, quas plures paucioresque ponebant & ostentabant in atriis, armariis suis ritè collocatas, de quibus eruditè Sigonius de Jure
2.20.p. Veteri Civium Romanorum, docens, quinam jus ponendæ i-
125.126. maginis ad posteritatis memoriam habuerint. Eum exagitat morem Poeta Satyricus:

Iuven. *Longa licet veteres exornent undique ceræ*
*sat.*8. *Atria; Nobilitas sola est atque unica virtus.*
*v.*18.

orat. col. 741. De Antonio a. dicere queas illud Tullii contra Pisonem: *Obrepsisti ad honores errore hominum commendatione fumosarum imaginum, quarum nihil simile habes præter colorem.* Nobilior longè Augustus, qui non imaginibus hæsit & atriis, longâ serie superbis, quique non Nobilem se fecit Nobilitate nudorum Majorum, neque n. est virtus Nobilem nasci, sed se nobilem facere. Non sua putabat, quæ non fecisset ipse, unde injurias facile sprevit Antonii, & similium aliorum, qui traducebant, inque solâ stirpe gloriabantur. Ex stirpe, sive bonâ sive malâ, certa nota sumi nequit in progeniē. Heroū filii quandoque noxæ, dici solet, & ex malâ stirpe, tanquam rosa de spinâ, nascitur interdū aliquid boni. Nec malitia, nec obscuritas Parentum semper obest, sicut nec Parentū probitas aut splēdor semper prodest. Bona sunt hęc fortunæ vel naturę, quæ fixa nō sunt. Fixum quidem ex homine nasci hominē; incertum verò ex generoso nasci generosum, ex virtuoso virtuosum. Quamvis quis nobilissimæ patriæ sit, & clarissimi generis, & opulentia Crœso aut Crasso major sit, & eloquentia Ciceronem superet, robore quoque ac pulchritudine, gloria atq; imperio præstet, diademate & purpu-
3.Epist. ra incedat, ἀρετὴν δὲ μὴ ἔχοι, τοῦτον ἔγωγε, inquit Isidorus Pelusiota,
169.*p.* ἐν τοῖς ἀνδραποδωδεστάτοις κατατάξαιμι, *virtute tamen si careret, hunc*
324. *ego in mancipiorum numero haberem.* Contrà si quis justitia, temperantiâ, fortitudine & prūdentia præditus sit, τοῦτον ἐν τοῖς βασιλικωτάτοις καταριθμήσαιμι, *eum ego inter amplissimos maximeque regios numerarem.* In hoc numero amplissimo erat Augustus; in illo tunc Antonius, vir improbus & in vitiis suis maximus, aliunde potius

natus

natus quàm ex Nobilitate, nobile & illuſtre mancipium. Æſtimabilis Nobilitas, quæ æmulatur forti animo Nobilitatem virtuoſam, & adoleſcit non tam genere inſignis quàm virtute nobilis. Bene Radulphus Ardens, qui ante quingentos annos vixit Galliæ ſuæ decus: *Nobilitas & probitas Parentum ad nihil aliud valent filiis & Nepotibus, niſi ad æmulationem imitationis. Hinc eſt, quod antiqui imagines & probitates Parentum ſolent depingere ad incitamentum Filiorum & Nepotum, ut eos ad patriſandum incitarent. Si tu verò degeneras, quare Parentum tuorum Nobilitatem jactas? Non illa te juvat, ſed damnat; non n. ex probis parentibus naſci, ſed probos parentes imitari laudabile eſt.* Liberalis laus, ſi Filius aut Nepos imago eſt animi & corporis paterni, imagine virtutum, veteris gloriæ & famæ ſimulachro. Multi Nobilium Majoribus ſuis magni, non ſuis moribus. Nobiliſſimi, qui moribus & majoribus maximi, virtute perſpectiſſimi, ordine dignitatum altiſſimi. His alis ad ſummum faſtigium contendit & adſpiravit Octavius, primus & unus ex familiâ ſuâ celebri, qui jure ſuo ipſe de ſe gloriari potuit, ſe ſuis Majoribus virtutis ſplendore facem incendiſſe. Laudem cum Auguſto omnis auguſtus nobilis meretur, non qui à Majoribus famam aucupatur, ſed qui addit. Non inficiandum tamen, ὁρμητήριον ſive incitamentum eſſe ingenuis animis claritatem majorum, & à claritate generis claritatem virtutis clariorem effici. Longe erat auguſtius, ut in Auguſto gloriari potuerit familia quàm Auguſtus in familia & Parentibus. Nobilitas erat Auguſti, clarum eſſe virtutibus, nec ignobilem fuiſſe origine. Non ejus laus erat in origine ſola, ſed in nobilitate, quæ virtutem habebat pro fundamento, nec inanibus titulis incumbebat, aut fumoſis imaginibus, ſicut ea vanitate ſeſe jactitabat Antonius obtrectator, cætera imbellis animo, & illecebra voluptatis magis notus quàm ipſo ſtemmate. Longè anteponebat ille ſe Auguſto, ignobilem ſtemmate in circulis & foro proclamans. Ignobilis tamen Antonius, nomine & re nobilis Octavius, factis illuſtribus & generoſis. Quicquid verò ſit in ſermone, in ſtemmate, in haſtilibus & haſtiludiis, Nobilis ignobilem non contemnat, nec ignobilis nobilem. Noluit Deus omnes eſſe Nobiles, noluit omnes eſſe ignobiles. Diviſit ordines hominum, ut nullus ſuperbiret, vel alium contemneret. Per ignobilitatem ne-

Homil. 1. Dom. Sexag. f. 64. b.

mo contemni debet; per nobilitatem neminem se efferre decet. Omnes conversemur honestè, unusquisque in ordine suo. Omnes familiæ illustres habent sua initia, & ea ferè exigua aut humilia. Sæpe amplæ familiæ de fastigio dejiciũtur, si abutuntur stẽmate. Antonius dum non poterat moderatè ferre magnas dignitates, animi sui vitia apertè prodit, & ea dignitate dejicitur. Erigitur Octavius, contemtus in summam dignitatem evehitur. Virtus omnibus exposita, & tam in casa quàm palatiis, sine discrimine personarum, capitur; interim quod diximus, si in nobiliorem gentem venit, majoris solet esse existimationis, & ad imperia promtiores habet homines. Omnium pulcherrima nobilitas, quæ ad naturalem nobilitatem quàm proximè accedit, quæ in virtute, tum generis, tum propria, maximè consistit. Si quis genere & genio generosus, is satis illustri stemmate natus. Splendet nobilitas, si cum generis splendore splendor veræ solidæque virtutis & eruditionis conjungitur. Splendidum te, si *tuam* non habes, *aliena claritudo* non efficiet, differet tecum Boethius. Benè nititur titulis Majorum, qui propriis adjutus à Parentum virtute non degenerat;

3. Consl. Phil. 6. p. 55. Panegyr. Pisonis v. 8.

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso Consule Fasti
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, *cujus laus est in origine solâ.*

Stemma Domûs & Familiæ Augustæ digerunt Elias Reusnerus in Genealogico Romano, pag. 62, 63. & accuratius Lipsius ad Lernutium in Excursibus ad Tacitum p. 546. Glandorpius in stemm. Rom. Famil. p. 955. Peschvviz peculiari libello.

3. Naturæ & ingenii dotibus excellens maturè ad omnes tam Belli quàm Pacis artes à Julio, Avunculo magno, magnâ curâ educatur.

Quo genere natus, quibusque imaginibus clarus fuerit Augustus, ut nemini Romanorũ nobilitate facile cesserit, diximus, nunc dicturi, quomodo cum summo genere summam doctrinam tam Marte quàm Artibus conjunxerit, ex qua re majorem ille glo-

riam accepit, quò rarius iſtam conjunctionem contingere videmus. Gens Octavia, clara nec ſine Majorum imaginibus, produxit ingentis indolis & ſpiritus juvenem Octavium, cujus vigor non minus in corpore quàm animo exſplenduit, dignâ imperio formâ, condignis virtutibus. Variè diſtribuere ſolet Deus *Bona ſua* inter Magnates, ſive velis *Corporis,* ſive *Fortunæ* & *Animi.* In Auguſto omnia larga, maximè *bona fortunæ* & *animi.* Si flectere volumus oculos *ad bona corporis,* quæ in Auguſto, ſunt quæ admireris, & ſpectari debent; ſed ut cogitemus in eo cæteriſque Imperatoribus, formam, valetudinem & alia, quæ corpus commendant, bonum fragile fuiſſe, quo non inter homines caducius ullum: Gratiam corporis commendabat in facie liberali *Oculorum ſplendor rarus,* & in pulchritudine corporis, præter *genitivas notas,* quas no-
tavit Suetonius, corroborata confirmataque membra conſpicie- c.80. p.
bantur, niſi quod in ſenio nervis laboraret. Nemo curioſior Sueto- 136.
nio, cujus carpemus verba. *Formâ fuit eximiâ, & per omnes ætatis* c.79.
gradus venuſtiſſimâ, quanquam & omnis lenocinii negligens. Vultu p.135.
erat, vel in ſermone, vel tacitus, tranquillo ſerenoque. Oculos *habuit* claros ac nitidos, *quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam divini vigoris.* Dentes *raros, & exiguos, & ſcabros;* Capillum *leviter inflexum & ſufflavum;* ſupercilia *conjuncta; mediocres* Aures; Naſum *& à ſummo eminentiorem, & ab imo deductiorem;* colorem *inter aquilum candidum;* (nec albo, nec nigro ſimilem) *ſtaturam brevem, ſed quæ commoditate & æquitate membrorum occuleretur.* De ſtaturâ diſquirit Melanchthon Epiſt. ad Camerarium pag. 55. In oculis igneus ſplendor erat, *gaudebatque, ſi quis, ſibi acrius intuenti quaſi ad fulgorem ſolis vultum demiſiſſet,* Suetonio memorante. *O-
culorum acies clariſſimorum ſiderum modo vibrabat,* ait Sext. Aure-
lius Victor. p.625. Glaucos habuiſſe oculos ait Plinius, iracunde- l.11. c.37.
que tuliſſe, ſi quis eò intentius ſpectaſſet; *libenter n.,* quod ibidem p.169.
Victor, *accipiebat cedi ab intendentibus, tanquam ſolis radiis, aſpectui ſuo.* Nullum reperitur in humani corporis fabricâ ſenſus organum, quod tanta ſpirituum copia ſcateat, tantoque ſpiritus fulgore emi-
cet, quàm ſenſus viſus, notante Langio. Eo fulgore & ſtrictura i- 2. *Ep.*36.
gnea micabant Auguſti oculi, ut, in quos paulò attentius oculos p.154.
intuitu defixiſſet, hos tanquam ad ſolis fulgorem aut ad faces oculis

connivere cogeret. Quicquid pulchritudine excellit, *urere oculos*
2.2.v.43. dicitur, ut apud Terentium in Eunucho. Oculi vibrantes Augusti urebant fulgore suo oculos inspectantes. *Urit me Glyceræ nitor*, ait in Odis Horatius, id de oculis lætis Augusti dixeris, quorum *vibratæ lucis ardorem* (sic Marcellinus lib. 21. p. 198. loquitur) nemo perferre poterat. Tantus splendor & majestas occultæ Venerationis in facie Augusti relucebat, [illegible] primo suo aspectu ad se venientes attraheret, si probi essent; reprimeret, si suspecti; *ut quidam è primoribus Gallorum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum, quò minus, ut destinârat, in transitu Alpium per simulationem colloquii propius admissus, in præcipitium propelleret.* Quid pulchrius aut speciosius, si splendorem morum imbecillitas oculorum non sustinet? Aptanda sunt pulchra pulchris, & ubi externa dona corporis conveniunt animæ dotibus, decus decori additur. Pulcher ornatus corporis pulchrique mores pulchrè conveniunt in Augusto ad Principatum. Vultus inter oculos lucens, & mens cum prudentia in egregiis corporis viribus longè lucidior è gloria Augusti fuit. Corporis pulchritudo venustabat animæ virtutem, quæ laudanda hinc magis venit, ubi n. corporis animique pulchritudo junguntur, major est existimationis bonæ gloria. Oculorum itaque illa fragrantior lux, vultusque & reliqui corporis jucundus nitor, & egregia pectoris indoles, commendavit Augustum ad majora; neque majus poterat esse votum Julii, quàm spes Regni solidior in Octavio. Nullus potest præesse Regno, nisi qui ardentis ingenii sit, acumine sensus & ingenii præditus. Bona quæ habuit Augustus, impendit optimè, nil intermittens, quæ ad regni optimam administrationem futuram, ne Julius falleretur, facerent. Generosus Adolescens, quoniam natus erat amplis satis instructus majoribus, Julioque ob sanguinis vinculum commendatus, ut Reipublicæ interesset eum rectè educari, in hoc incubuit inprimis Julius, ne quid huic rei utile intermitteretur. Primùm itaque traditur iis, qui ei ad præclara nitenti præessent exemplo morum atque studiorum. Si initia vitæ spectamus Octavii, infelix quidem fuit ob obitum
c.8.p.71. Patris, quem *quadrimus*, Suetonio teste, amisit, sed eò felicior, nactus Julium, Consanguineum, optimum educatorem & honorum diribitorem maturum. Pro felici educatione summè solicitus fuit,

Julius

Julius Avunculus, in generosâ excelsâ indole Octavii apprimè delectatus. Egregium est ab optimis fortibusque Parentibus esse natum, sed oportet accedat optima simul educatio, atque à teneris annis ad virtutem tam literariam quàm bellicam assuefactio. Non sufficiebat spes illa à sidere Capricorni, de qua antea disseruimus, sed id etiam adesse oportuit, quod Poeta in Capricorno dixit: *Paling. v.76.*

Permagni refert etiam, quos quisque Parentes
Accipiat, quo sit pacto nutritus, *& à quo*
Instructus; *nam quos mores puer adbibit, & quas*
Artes à teneris didicit, retinebit adultus.

Magni interest regnis & regionibus, Principes à teneris unguiculis virtuti atque prudentiæ politicæ adsuescere. Præclare Themistius Orat. ad Valentinianum p.121. Ἐν τοῖς λόγοις οἱ μὲν, βασιλικοὶ ἀτεχνῶς, οἱ δὲ, ὑπηκόοις πρέποντες καὶ ἰδιώταις. *Sunt disciplinarum aliæ quæ ad Principes solùm attinent; aliæ, quæ privatis & civibus congruunt.* Principibus ait congruere, ὅσα πρὸς μέγεθος αἴρουσι τὴν ψυχὴν, καὶ σεμνότητος ἐμπιπλᾶσι, *quæ animum ad præclara animant facta, & majestate velut implent.* Plurimùm certè refert, quibus Magnatum liberi artibus & disciplinis imbuantur, à quibus quoque Præceptoribus instituantur. Maximis laudibus extollitur Philippus Rex, quod Aristotelem, summâ eruditione Philosophum, elegerit Filii sui Alexandri Præceptorem; quum enim Rex videret, quantum momenti ad virtutem esset in literis, Aristotelem Filio Doctorem accivit, à quo ille & agendi acciperet præcepta & loquendi, missa hoc nomine ad Philosophum Epistolâ, quæ adhuc extat, suo que memorabitur loco. Tam est necessaria Juventutis Regiæ accurata institutio, quàm sua cuique regno salus. Nil intermisit in accuratâ institutione Julius, de quo testis Dio: *lib.45. p.307.* Ὁ Καῖσαρ καὶ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἤσκει, καὶ πάνθ' ὅσα προσήκει τῷ μέλλοντι καλῶς καὶ κατ' ἀξίαν τηλικοῦτον κράτος διοικήσειν, ὑπάρχειν, ἀκριβῶς ἐξεπαίδευσε. *Cæsar Octavium erudiebat, quomodo gerendus Magistratus, accurateque instituebat in omnibus iis, quæ requiri solent in eo, qui tanto imperio rectè, atque ex dignitate præesse debet.* Qui ad regnum educatur, cujusque futura est autoritas in omnes maxima, illum non solius naturæ dotibus, sed quibuscunque animi & industriæ artibus præstare oportet; neque quenquam, quod ait Vegetius, *magis de-* *Prolog. Rei Mil. p.1.*

cet,

cet, vel meliora ſcire, vel plura, quàm Principem , *cujus doctrina omnibus poteſt prodeſſe ſubjectis.* Educabatur hinc Auguſtus artibus illis, quas Juſtinianus in Procœmio Inſtitutionum expreſſit ſineque dubio ad hiſtoriam Auguſti potiſſimùm reſpexit, quibus nimirum utrumque tempus, & Armorum & Pacis rectè poſſit gubernari. Educabatur Auguſtus utroque, ad ſagum & togam, exercitio , literis & armis , ut in bello non minus quàm *P*ace utilis aliquando eſſet. Optima hæc Auguſti inſtitutio , nec alia Principum & Imperatorum eſſe debet, hoc præſertim ſeculo , quò validior in dies hoſtis incumbit, Gog & Magog. Recitat Vegetius in libro de re militari, exercitationem armorum & induſtriam bellandi fuiſſe
cap. 1. ea, quæ terrarum orbem Romano populo ſubjecerunt. Id conſilii
pag. 3. ſequantur Magnates Imperii Romanô-Germanici , atque Muſarum Martiſque vinculo ſacrato *generoſum contubernium* ineant; Ducum enim Heroumque is demum audit *præclariſſimus, quisquis eleganti ferruminatione utrumque illud fulcrum* coadunavit, quod eleganter ait Cæſareus Ferdinandi Hiſtoriographus I. P. Lotichius,
Diſſ. de Alexandri, Scipionis, Julii, Auguſti exemplis id expingens. Altitu-
opinione do imperii requirit Scipiones , Hannibales, Camillos & Curtios,
p. 63. qui equitando, jaculando , feriendo , conſequi & terrere hoſtes queant. Multum poteſt in rebus bellicis ἀγχίνοια καὶ ἄσκησις, *naturæ inclinatio & exercitatio*, quæ duo in Hannibale commendantur a-
Excerpt. pud Diodorum, qui facit Hannibalem φύσει μάχιμον, καὶ τῇ τῶν πο-
p. 274. λεμικῶν ἔργων ἐκ παιδὸς πείρᾳ πεπονημένον, *naturâ bellicoſum, & in re militari à puero exercitatum.* Natus in arma puer Octavius maturè Romana ſequutus caſtra Julii, ſpecimina virtutis edit inſignia, non ſolùm artibus ad arma idoneus , ſed naturâ quaſi ipsâ ad rem militarem diſciplinamque bellicam genitus, caſtrorum honor , militiæ decus. Artium armaturæ pedeſtris & equeſtris erat perquam ſcientiſſimus, ac ſi quis unquam belli peritus , expertus omni modo modos, numeros & geſtus luctandi & certandi, per arma ; nam erant, qui ſcientiam armorum traderent compoſitè ad militiam ; *omnemque hinc artem didicerat armaturæ*, ut cum Vegetio omnia dicamus.
2. 14. Militari diſciplinâ proludiiſque rei caſtrenſis corpore optimè exer-
p. 35. citato Virtutum militarium exempla edidit, vivo Julio, in mediis laboribus & periculis, cùm in Hiſpaniam per injurias terræ & cœli prope-

ribus præceptis instructus, ad bellum eductus, bellè se habuit, literis juxta & armis exercitatæ tandem sapientiæ Imperator effectus per fidelem Julii informationem, eamq; exquisitam, quod ex Dione diximus. Exemplũ Ducis Epaminondæ, & Imperii Romani, ad fastigium, per disciplinas cultumq; animi, evectorum proponit Strabo iis, qui animum nullis excoluerunt disciplinis, contenti agresti belli studio, Thebanos in exemplum adducens, quos ait imperium amisisse, *μόνης ἐπιμεληθέντας τῆς κατὰ πόλεμον ἀρετῆς, eo quod solius bellicæ virtutis studiosi fuerint.* In utroque literarum & armorum notitiâ clarus fuit, atque nunc id de literis, postquam de armis diximus, docebimus. *lib. 9. p. 276.*

4. Eloquentiam studiaque liberalia ab ætate primâ cupidè exercet; Apolloniæ in Macedoniâ studiis navat operam, Latinæ Græcæque linguæ factus ad omnem facundiam peritissimus.

NObilem stirpem nil magis quàm nobilitas scientiarum extollit. Nobilem ortu, nobilem in militiâ Octavium novimus; noscendus nunc plenius in studiis literariis, à quibus nunquam satis laudari potest. Solent plerumque studia in primâ statim pueritiâ, tanquam in herbis, significare, quæ virtuti maturitas, & quales fruges industriæ sint futuræ. Octavius noster bono genere natus, indole egregiâ & virtute ultra ætatem præditus, maturè speciminibus dedit, quid sperari posset. Primis statim annis conspiciuntur *quasi cunabula quædam & elementa virtutis*, *animique procedente tempore ad summum gloriæ culmen perventuri certo cum indolis experimento gustus* dari solet. Id Valerius Maximus dixit, & exemplis demonstravit. 3. 1. p. 93; Augusto verò lib. 1. c. 7. n. 2 p. 28. *naturalem animi in omnibus rebus subtiliter perspiciendis vigorem* tribuit. Judicii exactissimi, ingenii promtissimi, præcocis sapientiæ juvenẽ fuisse variis testimoniis constat. Erat *amussitata illius indoles*, ut cũ Plauto dicamus, imago quædam venturæ virtutis. Erat in eo prom- *Mil. 3. 1. v. 37.*

ta naturæ docilitas, facillimè doctrinas quasvis arripiens, εὐφυὴς γὰρ [*Philo de Vitâ Mosis.*] ψυχὴ προαπαντῶσα τοῖς λεγομένοις ὑφ' αὑτῆς μᾶλλον, ἢ τῶν διδασκάλων ὠφελεῖται, καὶ λαβομένη τινὸς ἐπιστημονικῆς ἀρχῆς κατὰ τὴν παροιμίαν, ἵππος εἰς πεδιὰν ὁρμᾷ, *Anima quippe bene nata præceptis obviam se offerens, à seipsa magis quàm à Magistris adjuvatur, acceptisque rudimentis cujuscunque scientiæ equus (juxta proverbium) fertur in planitiem.* Cõmendat adolescentulum Nicolaus Damascenus [*p.485.*] à sobrietate, modestiâ, prudentiâ, humanitate, verecundiâ, ob quas virtutes in omnium ore & existimatione fuerit. Αἰδῶ δ' διαφανέστατα ἐν ἔργοις ἐδήλου ἐν τῷ βίῳ παντί. *Verecundiam verò maximè omnium ostendit, quod vixit.* Διὰ τοῦτο καὶ μάλιστα Καῖσαρ αὐτὸν περὶ πολλοῦ ἐποιεῖτο. *Eâ de causâ præcipuè Cæsari acceptus fuit.* Quæ de [*Grotius Epist. ad Peiresk. p.250.*] primâ ille Historic⁹ institutione retulit declamatorio potius quàm historico stilo, in illis maximè commendat τῆς φύσεως ἀκρότητα, *summè excellentem indolem*, adeò ut ipsos suos Præceptores addiscendi celeritate prævenerit. Commendare volens Paulum Maximum [*Hist p. 474.*] à præstanti doctrinâ Horatius vocat eum *centum* (numero certo pro incerto) *artium puerum*, qualem in Augusto habemus; [*4. Od. 1. v. 15.*] unde *mirabilis indolis adolescens* vocatur Augustino. Ut adolescentem, in quo senile aliquid; sic Senem, in quo adolescentis est aliquid, laudamus. [*3. de Civ. Dei 30. col. 210.*] In Augusto habemus exemplum adolescentis seniliter sapientis, primoque ætatis flore exornantis animum studiis variis, Julio sic providente, quem primis statim annis conspecta indoles delectavit, ut maximè illam diligeret; utq; excultior ea fieret, teste Vellejo, *ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis indolem juvenis, Apolloniam* [*Cic. de senect. col. 548.*] (Taulantiorum in Macedoniâ civitatem, ad Jonicum mare sitam) *eum in studia miserat, mox belli Getici, ac deinde Parthici habiturus commilitonem.* Teste itidem [*2. 59. 4.*] Suetonio *Cæsare post acceptas Hispanias expeditionem in Dacos &* [*c. 8 p. 72.*] *inde Parthos destinante præmissus Apolloniam studiis vacavit.* Testatur idem Plutarchus in Bruto pag. 994. Optimis olim institutis & studiis *Apollonia* Macedonum floruit, ubi non tam bellicis quàm liberalibus studiis juventus exercebatur. Cogitanti Iulio quantum in humanis rebus ad excellentem statum prodesset literarum eximia cognitio, mittebat Apolloniam Octavium, ut ad militarem disciplinam, cujus initia felicia ei contigerant, animique magnitu-

dinem

properaret; nam cùm inter Hispanos, gentem belli ferocem, contra Cn. Pompeji liberos esset occupatus Julius Cæsar, celeri itinere venit Augustus, ut inserviret seseque commendaret, eo nomine Julio acceptissimus, qui & indolem mirabatur, & celeritatem itineris. Id Suetonius ita enarrat: *Profectum Avunculum in Hispanias adversus Cn. Pompeji liberos, vix dum firmus à gravi valetudine per infestas hostibus vias, paucissimis Comitibus, naufragio etiam facto, subsecutus*, magnopere demeruit, *approbata citò etiam* morum indole *super itineris industriam*. Magnopere *demeruisse* Julium dicit Suetonius, cùm *vix firmus à gravi valetudine per infestas hostibus vias paucissimis comitibus, naufragio etiam facto subsecutus*, eum inviseret. Morum hanc indolem *approbavit* Avunculus, quæ etiam itineris molestias majores non abhorreret. *Itineris industriam* vocat Suetonius, cui ad commendationem accessit labor in militiâ belli Hispaniensis; nam Octavium in contubernio Cæsaris militasse docet Dio lib. 43. p. 265, ubi memorat fausti ostenti loco non quidem pro Julio, quod hic putaverat, sed pro Octavio, cùm visus fuisset βλαςός τις ἐκ φοίνικος ἐν τῷ τῆς μάχης χωρίῳ, *plantæ germen eo loco, in quo pugnatum fuerat*; enasci. Tyrocinium itaque hoc militiæ fuit, cùm acre adversus Hispanos Julio bellum esset, & assiduus castris adesset, unde Comitem Hispaniensis militiæ Vellejus, & Avunculi gratissimum assеclam, laudat, scribens: *C. Octavius obiit prætextato relicto Filio, quem C. Cæsar, major ejus Avunculus,* 2.59.p.
educatum apud Philippum Vitricum, dilexit ut suum, natumque an- 59.
nos XVIII. *Hispaniensi militiâ assecutum se postea* Comitem *habuit, nunquam aut alio usum hospitio, quàm suo, aut alio vectum vehiculo*. Itineris celeritatem in adolescentulo, Hispaniam inter pericula adeunte, mirabatur Julius, inde notans *morum indolem*, & prima quasi cunabula & elementa virtutis. Alacris animi evidens hoc argumentum Julius observabat, quod itinere mirum in modum celeri Hispaniam peteret, ut non diebus cessaret, non noctibus, inque bello Hispanico sese alacrem præstaret. In Hispaniam, tanquam Academiam Martis, propere abiit, atque ibi, ut ex Terentio dicamus,

c. 8. p. 71.

Simul rem, & gloriam armis belli repperit. *Heaut- tont. act. 1. sc. 1. v. 60.*

Quàm tunc eximio amore complexus fuerit Octavium Julius Cæsar,

ſar, quâque continuâ ſolicitudine fuerit pro curanda valetudine ejuſdem, præ aliis deſcripſit Nicolaus Damaſcenus pag. 479, 480, 483, ubi hæc habet, quum in Hiſpaniam inexpectatus veniſſet: Ἐκ πολλῶν πολεμίων καὶ λῃστηρίων περισεσωσμένον ὁρῶν ἀδοκήτως ἠσπάζετο καὶ οὐδαμῆ μεθίει, ὁμοδίαιτόν τε εἶχεν. ἐπῄνει δ' αὐτοῦ καὶ τὴν ἐπιμέλειαν ἅμα καὶ σύνεσιν. ἐπιμελὲς δ' ἐποιεῖτο πρὸς αὐτὸν διαλεγόμενος ὑπὲρ πολλῶν ἀνακρίνειν, ἀποπειρώμενος αὐτοῦ τῆς διανοίας. ὁρῶν δὲ εὔστοχον καὶ εὐσύνετον, καὶ βραχυλόγον, αὐτά τε ἀποκρινόμενον τὰ καιριώτατα, ἔστεργε καὶ ὑπερησπάζετο. *Cum ſalvum ex hoſtium ac latronum inſidiis inſperato videret, tanquam filium amplecti ac deoſculari cæpit; neque eum dimittebat uſquam, ſed aſſiduè in contubernio habebat, laudabatque ejus induſtriam ſimul & prudentiam, cumque de multis rebus ſedulò interrogabat, quo ingenii ac judicii periculum faceret; & eum ſagacem & ſolertem in ſermonis brevitate & aptis reſponſionibus deprehenderet, magis ac magis illum in dies amabat.* Adoleſcens eâ fuit tunc indole & fortitudine præditus, ut non modò de eo Iulius Cæſar, cùm tunc ſpecimina ardua ederet, optimè ſperare, ſed confidere Romani poſſent, talem futurum, qualem ſeſe ipſe mox procedente ætate rerum geſtarum magnitudine præſtitit. Flore iſto ætatis Iulio conciliatus altam indolem oſtendit cum admiratione omnium, omnemque exercitum in ſe convertit; unde Iulius eum *Magiſtrum Equitum* conſtituit καίπερ μειράκιον ἔτι καὶ τότε ὄντα, *etiamſi adoleſcentulus adhuc eſſet.* Non humilia ſpirabat, ſed à primâ pueritiâ ſplendori Iulii aſſuefactus genium & ingenium prodebat; ut in eo Claudiani verſus queamus demonſtrare:

lib. 1. Stilic. v. 39.

Mens ardua ſemper
A puero, tenerisque etiam fulgebat in annis
Fortunæ majoris honos. Erectus & acer,
Nil breve moliri; nullis hærere potentum
Liminibus, faſtisque loqui jam digna futuris.
Jam tunc conſpicuus, jam tunc venerabilis ibat,
Spondebatque Ducem celſi nitor igneus oris.

Maturè & celeriter incepit oſtendere corporis animiq; dotes; magis ac magis deinceps per ætatis gradus, & occaſiones agendi, quibus famam pretiumque rebus ſuis conſtituit, maximè ab exceſſu Iulii Cæſaris. Bene natus Auguſtus, bene educatus itidem, ſalutaribu

nem, Rhianum & Parthenium. Hic in Senatu Legatis perpetuâ *Suet. c.*
Oratione Græcâ respondit, Græcas scripsit Historias, Τυῤῥηνικῶν *70. p.*
viginti, Καρχηδονιακῶν octo libros. Tam Græcè fuit doctus *Nero*, *216.*
ut Athenis natus videretur. Poemata & Tragœdias Græcè scri- *Suet. c.*
psisse *Titum Cæsarem* perhibent Eutropius & Suidas. Tam erudi- *42. p. 315.*
tus græcè *Marcus* cumprimis *Antoninus*, ut monimentum hu-
jus eruditionis, sententiis & præceptis vitæ gravissimis refertum,
adhuc in manibus habeatur, ubivis laudatum nuperque elegan-
tissimè editum Thomæ Gatakeri operâ. Julianus in Græciam stu-
diorum gratiâ proficiscebatur, teste Marcellino. Romæ in Apol- *l. 15. p. 34.*
linis æde ter novem illustres pueros, cum totidem virginibus
hymnos & Pæanas *Græcâ Romanâque linguâ* cecinisse docet Zosi- *2. Hist.*
mus. Tam erat in usu Græca publicè proferre, quàm hodie inter *p. 670.*
nos; unde Poetices studiosos monet Horatius:

Vos exemplaria Græca *de arte*
Nocturnâ versate manu, versate diurnâ. *Poet.*

Erant, qui erudirent juvenes & pueros pronunciationem certis to- *v. 269.*
nis pro rerum diversitate figurare, ut alio tono & sono lingua da-
ret ea quæ ligato, ab iis quæ soluto sermone essent dicenda; alius
sonus esset tristium, alius lætarum rerum. Curiosè hæc de flexu
vocis notavit diligentissimus Barthius, conquestus de ignorantiâ *Anim. ad*
hujus rei. Principem certè decet præ aliis hominibus non tam deli- *Statium*
beratâ linguâ, quàm aptâ gravitati, loqui. Vigor vocis in Principe *lib. 2.*
generoso laudatur, sed citra affectationem & ostentationem, quæ *Syl. 1.*
venerationem inferat audienti & affectum imponat. In juvenili ita- *p. 181.*
que ætate oportet, ut Rectores Principum ora, mentem, vultum
præparent. Gratior ut esset sermo & facundior Octavii, in eligen-
dâ voce dignâ & convenienti non piguit tunc Phonasco uti, qui
formaret & effingeret se loquentem, ut polleret etiam hâc parte.
Suetonius c. 84. p. 139. *Pronnnciabat dulci & proprio quodam oris
sono, dabatque assiduè* Phonasco *operam; sed nonnunquam infirma-
tis faucibus Præconis voce ad Populum concionatus est.* Nero *Pho-
nascum* etiam habuit adstantem, qui moneret, *parceret arteriis, ac*
sudarium ad os applicaret. Vox origine græca φωνασκὸς, vocis exer- *Suet. c.*
cendæ Magistrum notat; nam φωνὴ, *vox*, & ἀσκεῖν, *exercere*, cujus *25. p. 340.*
erat docere, quomodo esset vox formanda, intorquenda, remit-
tenda,

tenda, lenienda, exasperanda. Solebant a. Cantores & Oratores Phônasco vocem suam & formandam & exercendam dare, notante Salmasio. Varro apud Nonium col.584.

ad Tertull. Pall. p.466.

Phonascus sum, vocisque suscitabulum.

Præceptor Augusti in Philosophicis fuit Athenodorus Tarsensis, Sandonis Filius. Καίσαρος, ait Strabo, καθηγήσατο, καὶ τιμῆς ἔτυχε μεγάλης. *Cæsarem erudiit, magnosque honores consecutus fuit.* Protulit Tarsus etiam Philosophum Nestorem, Athenodori successorem, qui docuit Marcellum, Octaviæ Augusti Filiæ Filium, notante eodem Strabone p.464. Magnum est in Augusto unà cùm doctrinæ Philosophicæ copia tantam fuisse sermonis elegantiam, ut cum doctissimis quibusque facile potuerit colloqui, imò se conferre & verborum munda puritate, & sententiarum gravitate. Genus ille orationis floridum, mundum & castigatum amavit, quod in eo fuit augustius, quàm ut ad censuram vocari potuerit. Sanè sermonem & orationem Augusti commendant cumprimis à perspicuitate & gravitate, non tam in loquendo quàm scribendo. Tacitus 13.A.3.5. *Promta Augusto ac profluens, quæ deceret Principem, eloquentia fuit.* Suetonius cùm recensuisset cap. 84 eloquentiam studiaque liberalia Augustum ab ætate prima magno labore & cupiditate exercuisse, cap.85 addit: *Genus eloquendi secutus est elegans & temperatum, vitatis sententiarum ineptiis atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, ut ipse dicit, fœtoribus. Præcipuam curam duxit sensum animi quàm apertissimè exprimere.* Brevitas certè & venustas & munditíes est in Augusti sermone, quod fragmenta, quæ supersunt varia, testantur; munditiarumque Julii erat sectator. De ejus in studia propensione Aur. Victor. p.625. *Liberalibus studiis, præsertim Eloquentiæ in tantum incumbens, ut nullus, ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret.* Idem 2. Hist. abbrev. p.612. *Doctorum, qui abunde erant, necessariorumque percultor, cùm eloquentiæ studio ac religionibus mirè retineretur.* Quàm verò inextinguibilis ardor fuerit erga artes & studia, videas inde maximè, quod in fatali illa bellorum modò civilium, modò exterorum tempestate non exercitationem modò literarum, instar Parentis Julii, non intermiserit, sed, quæ ejus majores fuêre in excolendis literis laudes, eas augere studuerit; ac tunc maximè gavisus

lib.14. p.463. *p.139.*

dinem doctrinæ etiam ſtudia literarumque elegantiam adjungeret.
Acriores ad bellica & alia ſtudia ſtimulos dedit Julius , cujuſque
vita & viva exempla plus ponderis habuerant in animo teneri tyro-
nis, quàm vox Præceptoris. Ad tanti Herois geſta, dicta, facta, tan-
quam viva præcepta, ſe componebat, fortitudinemque ſectabatur;
utque magis excoleret animum, eo fine mittitur Apolloniam, quæ
tunc erat Schola Artis & Martis , docens & inſtruens, quibus ibi
ſtudiis teneram ætatem ſuam excolere, atque ad res magnas , eo
quo natus eſſet loco, diſponere atque præparare deberet. Miſſus eſt
illuc, Julio expeditionem in Dacos ac Parthos moliente, ut ibi in-
terea *literis vacaret, & in militiâ ſimul inſtrueretur, quoniam turmæ
Equitum ex Macedoniâ adventantes hic exercitabantur, Prætoreſ-
que copiarum quaſi ad Cæſaris affinem illuc ſæpius venerant. Sex ibi
menſes moratus, benevolentiam exercitus ac militum ſibi compara-*
verat, ſcribente Cuſpiniano. Nil illuſtrius fuit eo juvene Apollo- *in Aug.*
niæ, cujus acriore ſtimulo juventus accenſa literas ambitioſè co- *pag.7.*
luit, ſolerter pertractavit exercitia, principe ſtudio & quodam vo-
luptatis ardore. Inde in delitioſâ ætate publicè ad dicendum ſur-
rexit, grandique & minimè fucato nitore exſurgenti oratione lau-
davit Aviam, eâque ingenii ſublimitate prælusit gloriæ futuræ, dum,
quæ indoles certè egregia fuit, Aviam Juliam pro concione lauda-
ret. *Quadrimus Patrem amiſit ; duodecimum annum agens aviam
Juliam defunctam pro concione laudavit* , ait Suetonius; & hoc eſt,
quod idem docet, *eloquentiam ſtudiaque liberalia ab ætate primâ &* c.8. p.71.
cupidè & laborioſiſſimè exercuiſſe. Contrà atque Nero, qui puerili- c.84.
bus ſtatim annis vividum animum in aliena detorſit, *& alienâ eguit* p.138.
facundiâ. Acceſſit ad propriam laudem eruditionis ſingularis, elo- *Tacit.* 13.
quentia, non coacta, nec ex affectatione nata, ſed promta & pro- *Ann.* 3.4.
fluens. Præludia & exercitamenta in Principum Romanorum Au-
lis erant crebra in ſtudio declamandi , nilque potius cenſebatur,
quàm primæ indolis audire publica eloquentiæ ſpecimina. Au-
guſtus vix duodecennis publicè laudavit Aviam Juliam , Ma-
trem Atiæ, quæ Cæſaris Dictatoris fuerat ſoror; inde Quintilianus:
Cæſar Auguſtus duodecim natus annos Aviam pro roſtris laudavit. 12. 10.6.
Decimò id anno Auguſti factum ſcribit Damaſcenus. Quo ſibi p.619.
exercitio auguſtæ ſpei juvenis comparavit *promtam & profluentem* p.475.

13.A. *eloquentiam*, à quâ eum commendat Tacitus. Post eum Tiberius
3.5. *novem natus annos pro rostris* idem officium pietatis Augusto Patri
c.6.p. suo peregit, Suetonio notante. Egregio hoc artificio dicendi *Ca-*
165. *jus Caligula*, in puerili ætate adhuc constitutus, *Liviam Augustam,*
Suet.c. *Proaviam suam defunctam, prætextatus etiam tum, pro Rostris lau-*
10.p. *davit*. Eodem ausu *Nero*, cùm à Claudio adoptatus inque spem re-
228. gni esset erectus, *ut honestis studiis & eloquentiæ gloriâ notesceret,*
Tacit. 12. pro Trojanis & Bononiensi coloniâ *facundè* peroravit. Eloquen-
A.58.2. tia in adolescentibus, maximè regiis & generosis, laudatissima est.
Juvenis ingentis eloquentiæ fuit Augustus, quæ ei ad summos ho-
nores utilissima, maximè cùm ei accederet bellica virtus, ut præ-
claræ indolis adolescens non minùs *facundus* quàm *bellicosus* esset.
Exercere se solebat Augustus apud Apollodorum *Pergamenum*,
veterem neque ignobilem dicendi Magistrum, cujus apud Sueto-
c.89.p. nium mentio: *Ne* Græcarum *quidem* disciplinarum *leviore studio*
142. *tenebatur, in quibus & ipsis præstat largiter, magistro dicendi usus*
Apollodoro Pergameno, *quem jam grandem natu, Apolloniam*
quoque secum ab Vrbe Iuvenis adhuc eduxerat. Maximè hunc Præ-
lib.13. ceptorem extulit amicitia Augusti Cæsaris, notante Strabone.
p.430. Quas a.nobis narrat Suetonius Græcas disciplinas, quos Rheto-
res & Philosophos Græcos? Dominam orbis Romam confluxe-
Sat.3. rat tota ferè Græcia, adeò ut Juvenalis *Græcam urbem* appellet.
v.61. Constat Græcorum linguam, non aliter ac hodie Gallica Euro-
pam, tum non Italiam solùm, verùm etiam Syriam, Ægyptum, Ci-
liciam ac bonam orbis partem occupasse. Græcè discebant Roma-
ni à primis statim annis, de quibus studiorum auspiciis Fabius
lib. 1. c.2. Quintilianus: *A sermone Græco puerum incipere malo, quia Latinus,*
p.9. *qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se perhibet; simul quia*
disciplinis quoque Græcis prius instituendus est, unde & nostræ fluxe-
runt. Non tamen hoc adeò superstitiosè velim fieri, ut diu tantùm lo-
Sat.1. *quatur Græcè, aut discat, sicut plerisque moris est*. Inde satyrico joco
v.70. Persius ait puerulos, has literas discentes, *nugari solitos Græcè*. In-
de invenies, & Romanos Cæsares plerosque omnes Græcè novis-
se, & Romanorum graviores studium hoc excoluisse gnaviter. Lite-
ris Græcis doctissimè eruditi fuerunt *Tiberius* & *Claudius*, quo-
rum ille exercuit se in Græcis carminibus, imitatus Euphorio-
nem,

visus fuerit, cùm pacis spes affulsisset, genio feliciore florere bonas artes perspexerit. Tantus ardor literaturæ fuit, ut Mutinensi bello non cessaret tanta in rerum mole & legere, & scribere, declamare quotidie, sibique parare sermonem facilem & sibi in summo officio dignum. Principum sermo id requirit, ut in eo plus animi quàm artis, plus nervorum quàm verborum, appareat. Principum verba culta sunt, sine cura accurata, non fucata, non lacunosa, non numerosa, non strigosa. Julius Cæsar eo animo dixit ac scripsit, quo bellavit, vehemens ac animosus. Augustus Cæsar ea gratia scripsit dixitque qua regnavit, blandus & verecundus, solers & acutus. In illustranda lingua latina fuit occupata Augusti diligentia, naturaleque illud & non fucatum sermonis genus adeò excoluit, ut in altissimo gradu tunc fuerit collocatus nitor sermonis. Si quid non erat ornatum, in id animadvertebat, siquidem ipse, in novas jam tum Tiberii ac Mæcenatis, & aliorum similium Virorum loquendi formulas, quas *fætores* appellare solitus erat, invehebatur. Non affectatè loquebatur, non prolixe. Laconismum amabat, qui Reges & Principes decet; unde & Homerus de Menelao Rege scribit, eum pauca quidem, sed *μάλα λιγέως, valde acutè* dixisse, nec fuisse multorum virum verborum. Non quovis loco erat facundus, ipseque noverat uti scena, ne *Literio* pro Imperatore audiret, uti notatus fuerat *græculus litterio* Julianus, teste Ammiano; est n. & *literarum* quoque *intemperantia*, ut Seneca loquitur, maxime in Principe. Regno didicit loqui, non Scholæ, non Stoæ; putavit *partem eloquentiæ, abscondere eloquentiam*, quod ipse Cæsar de Gavio Silone dixit, referente Seneca. Delicatas habebat aures, germanum orationis cultum & sine cultura eloquentiam amans; sique fluebat oratio absque ambiguo & scabro verbo, sine pigmentis & phaleris, eam commendabat, ipseque præstabat, sicuti ei *profluentem eloquentiam*, aptam Principibus, tribuit Tacitus. Bene Quintilianus: *Utendum est sermone, tanquam nummo, cui publica forma est.* Affectata in sermone amabat Mecænas sequi, quem vexare solebat Augustus, teste Suetonio: *Exagitabat nonnunquam inprimis Mæcenatem suum, cujus Myrobrecheis, ut ait,* cincinnos *usque quaque persequitur, & imitando per jocum irridet.* Lepida voce utitur Cæsar ad exprimendum genus dicendi Mæcenaticum, q. unguentis sit

Iliad. 3. v. 214.

lib. 22.

Præfat. in lib. 10. Controv.

Epist. 106. p. 827.

1. 10. p. 38.

c. 86. p. 140.

 delibu-

delibutum, notans stylum mollem & dissolutum. Quæ a. idem de Mecænate, eadem fermè Seneca in Epistolâ 114. ad Lucilium p. 850. & Macrobius 2.Saturn. 4. p.398,399. Si Mecænas dixisset, *tolutim badissare*, nonne statim putares Augustum carpsisse sermonem audacem? Infortunata lingua, quæ portento vocum utebatur coram Augusto, urbano clarè & arguto Principe, cujus erat loqui eleganter, tersè, argutè. Non neglexit Augustus literarias concertationes, quas, qui nasum habent rhinocerotis, nugas vocarent. Etiam in originibus & orthographiis latinæ linguæ honori sibi duxit ingenium exercere, & doctis Grammaticis negotium facessere, vel temporis fallendi gratiâ. Volebat Augusto persuadere Florus, pro opassim scribendum dicendumque esse *au*, ut *aula* & *plaustrum*, pro *olla* & *plostrum*; quē Augustus bellè, cùm postridie veniret, non *Florum*, ut antea solebat, sed *Flaurum*, compellavit, quo *risu homo ridiculus novitatibus deinceps abstinuit*, scribente Herm. Hugone. Jocari tamen solebat in vocibus sono novo effingendis. *Pullus* de colore notissima vox erat, pro quo Cæsar dicebat *pullejaceus*, ad aliorum colorum exemplum quâdam ingenii lasciviâ, uti Casaubonus ait, id verbum formans. Sic cùm vulgò *Lachanissare* dicerent, pro eo *Betissare* notavit Augustus, teste Suetonio, à beta, herba saporis insipidi, nisi condiatur; & quia languida, eâ de causâ dixit *betizare* pro *languere*, ad imitationem eorum, qui à λάχανον, quod Atticis *Beta*, sive λαχανίζειν, *lachanissare* formabant. Hæc uti delectandi gratiâ concessit; sic verborum antiquatorum crepitacula, auribus molesta, repudiavit, quæ neque delectent, neque sapiant, nisi barbariem quandam, sine elegantiâ, nitore & suavitate. *Præcipuam curam duxit*, ait Suetonius, *sensum animi quàm apertissimè exprimere*. Cacozelos & antiquarios, *ut diverso genere vitiosos pari fastidio sprevit*. Ipsa licet verba ant quæ & priscæ Latinitatis specimen doctrinæ præ se ferrent, & velut olim *in exilium acta novitate quadam* delectarent, tamē eorum affectationem non immerito κακοζηλίαν appellabat. Præterea Augustus ingenii solertiam ostendit per impressa vestigia scriptionis occultæ, transpositione literarum, quâ ponebat B pro A, C pro B, ac deinceps, pro X autem duplex Aa, referente Suetonio; à quo non rectè *scriptionem per notam* dici vult Hugo. Occultationis hujus

de scrib. orig. c. 4. p. 59.

c. 87. p. 141.

c. 86. p. 140.

Wouwer. ad N. Vechta Ep. p. 59.

c. 88. p. 142.

de scrib.

elementariæ modus quidem non adeò ingeniosus, interim tamen cuivis non statim obvius; neque dubitandum, Augusto & alia cryptographiæ genera fuisse excogitata, atque etiam illum Suetonio notatum modum putamus intermixtas literis habuisse notas, unde occultior tractatio (sic nominatur Varroni) haberi potest. Longius progredi non opus est, non quod pigeat, diutius hujusmodi immorari, quum ipsi Augusto placuerint, præ se ferenti majestatem. Illud verò profiteri liceat & admirari, puritatem linguæ Latinæ ejusque elegantiam maxime sub Augusto claruisse. Latinæ linguæ accidit mutatio à primis usque initiis ad Augustum notabilis, atque ætas rudis & inculta sub Ciceronis & Augusti ævum prorsus desiit. Certè ut in rebus ipsis nihil est perpetuum, nihil quod interitum fugiat; ita in vocibus nullus erat usus constans, atque ut mores Latinorum, ita sermo variabat, horumque omnium penes usum jus erat & arbitrium. Defectum ex Græcâ linguâ sæpe supplebant Latini, tutiusque agebant, si è Græco fonte Latina fluerent. In hâc mutatione atque imitatione volebat Augustus, ut verborum delectus esset, ac percepta vocum significatio, ne quid obscuretur novo usu aut ingrato sono. Parcum igitur & solertem verborum planorum promum requirebat, & utinam omni ævo, & adhuc nostro, nostris edendis Augusti solicitudinem imitaremur. Omnia tunc erant in doctrinâ & literariâ eruditione nitentia, ingenia studiis se excolebant certatim. Puræ & non ambiguæ bonitatis erat Latinitas, exemplum unum sibi proponebant in Augusto omnes, cujus orationem puram, tanquam formam & effigiem, intuerentur. Confidentiùs dicimus Augusti seculum, seculum latinitatis ferè esse postremum, quod nativum illum linguæ latinæ succum & sanguinem incorruptum retinuit; & ubi Latinus sermo in summo stetit, nam deinceps paulatim ætas Latinitatis aurea in argenteam, & hinc in ferream transivit, sermone tandem sic vitiato, ut in meram degeneraverit barbariem. Quemadmodum cæteræ res omnes, sic & Linguæ, habent suas ætates per ortum, incrementum, vigorem & senium. *Rudis priscorum vita, atque sine literis*, ait Plinius Romanorum exordia, sterilia literarum, docens. Cùm Roma ad summum veniret, etiam sermo maturitate suâ quasi substitit, Augustique ætate, puritate atque elegantiâ enituit instar auri, ut *ætas aurea Latinitatis*

orig. c.17. p.132.

18.29. p.276.

Exercit. p.30. *nitatis* ſub eo fuerit, quæ tamen cum eo videtur obiiſſe, & evolaſſe in Elyſios campos, dicente Scioppio. Aureæ ætatis eos facit ſcriptores idem Scioppius, qui à bello Punico ſecundo penè ad extremum uſque Auguſti imperium floruerunt, inter quos Cicero eminuit; eo a. ſtatim ſeculo, quod ætatem Ciceronis excepit, ſimul Reip. & eloquentiæ mutatam fuiſſe formam. De ætate priſcæ Latinitatis ferreâ, & aureâ Auguſti, placeat audire Sabellicum: *Nullæ latinæ ab initio literæ in uſu fuerunt, ac ſi quæ fuerunt, ad Senonicum bellum uſque in infantilibus crepundiis jacuerunt; inde ad excidium Carthaginis* pueraſcere *cœperunt;* adoleverunt *cum M. Tullio, cumque eo maturuerunt;* in delitiis fuerunt ſub Auguſto, *quo extincto tacitò quodammodo viſæ ſunt ſeneſcere, ut, quicunque poſt illum ſcripſerint, etſi multæ alioqui in his fuere virtutes, Romanum ſonum perſpicuitatemque præcipuam, in ſermone veritatem, parum integrè cuſtodiverint, potuerintne illi & noluerint, an re ſemel inclinatâ temporum vitio amplius in integrum reſtitui nequiverint, haud quiſquam, ut arbitror, facilè dixerit.* Compendio quamvis agat Schleidanus, non prætermiſit tamen in hac hiſtoria ſcribere: *Hoc Auguſti ſeculum ferè poſtremum eſt, quod nativum illum* linguæ latinæ ſuccum, & ſanguinem *incorruptum retinuit; nam deinceps paulatim magis atque magis fuit ſermo vitiatus, donec in meram degeneravit barbariem.* Addimus Dan. Heinſium: *Quemadmodum Latinus ſermo circa Auguſti principatum* ſtetit; *ita & Tragœdia, quæ per multas uſque ab Accio Paccuvioque devoluta ætates conſummata in* Vario, *cum colores à* Naſone, *qui* Medeam *dedit, accepiſſet, vix incolumis ad* Senecam *pervenit, nam in reliquis vix ſpirat.* Variantur linguæ cum tempore, ſive caſu belli, ſive hominum ſegnium culpa, ſive alio modo. Suo tempore Paulus Diaconus ſuper Feſtum col. 304. *Latinè loqui à Latio dictum eſt, quæ locutio adeò eſt verſa, ut vix ulla pars ejus maneat in notitia.* Hieronymus Prooem. lib. 2. Ep. ad Galat. col. 299. *Ipſa Latinitas & regionibus quotidie mutatur & tempore.* Initia ſermonis Latini rudia ſucceſſu tẽporis politiora ſunt effecta, & linguæ hoc habent, ut ſubinde mutentur, ſicut ipſi homines ſolent mutari victu, habitu, moribus. Latina olim quæ tempore Evandri fuerant, Auguſti tempore erant plura vel inveterata vel prorſus ignota. Ab expulſione Regum ad tempora uſque Scipionis Africani, interval-

lo

Judic. de ſtilo hiſt. p.47. pag.34. Orat. 2. in laudem hiſtoriæ col.480.

lib.2.p. 60.

de Tragœd. Conſtit. c.16. p.203.

lo trecentorum & quinquaginta annorum, tanta fuerat facta mu-
tatio linguæ latinæ, ut Polybius sit testis, eo tempore etiam eos,
qui antiquitatis peritissimi fuissent, pleraque non nisi difficulter lib.8.c.2.
intellexerint. Satis testari hoc possunt Leges duodecim Tabula-
rum, Inscriptiones Veteres, Saliorum Carmina, Festi Pompeji &
Nonii Marcelli libri, obsoletis priscæ Romanæ linguæ vocibus re-
ferti, ubi quod Quintilianus dicit deprehendes: *Obscuritas fit etiam* 8.Inst.2.
verbis ab usu remotis, ut si Commentarios quis Pontificum, & vetu- p.383.
stissima fœdera, & exoletos scrutatus autores, idipsum petat ex eis, ut,
quæ inde contraxerit, non intelligantur. Vocabula solent nasci nova,
solent vetera denasci. *Verborum vetus interit ætas*, ait Horatius. Ar-
tes liberales optimaque studia, quæ nusquam magis quàm in Italiâ Art.Poet.
aluerat Augusti aliorumque bonorum Imperatorum honor & li- v.61.
beralitas, nulla ætas magis afflixit, quàm cùm Romani Imperato-
res Imperii sede in Thraciam infelicem translatâ, Italiam, Longo-
bardis, Gothis, Hunnis, aliisque feris nationibus diripiendam ac
devastandam relinquerent. Ea infelix Longobardorum, Gotho-
rum, Francorum, Vandalorum, in Italiam irruptio finem Latino ser-
moni attulit, ejusque loco novum hoc loquendi genus, ex plebeja,
Romanâ & Germanâ linguâ conflatum invexit, quod Sciopius de
stil.p.78.& in Gramm.Philosoph.p.150.tradit. Hoc ævo Augustæi
ævi Latinitatem anteferamus, tanquam probioris monetæ elo-
quentiam. Connitebatur ad optima Augustus, omnique industria
parabat orationem, quæ flueret purè nec esset turbida aut distorta.
Ductum hunc sequamur, imitemur Lipsium monentem, quamvis
ipse non imitetur seipsum: *Hoc industria tua addet, ut colorem &* 4.Misc.
phrasim priscæ eloquentiæ magis ducas. Inter priscos sit admirabilis Epist 62.
Augustus, omni virtute sermonis princeps. Rara sunt exempla ta- p.821.
lium Augustorum, qualis noster Augustus, qui pariter magnitudi-
ne animi & felicitate bellicâ, & doctrinarum studiis excelluerunt.
Rudimenta hæc fuere & quasi quædam incunabula eruditionis at-
que virtutum, quas maturescentibus annis in regnum Romanum
intulit pleniori fructu, fructuoseque collocavit, adeò ut doctior al-
ter nec fuerit, nec bello major & armis, nec fortior inter suos atque
fortunatior. Principû & Regum est intueri laborem & industriam
Octavii, nec admittere eos, qui Principum liberos armis statim &

levioribus studiis saltandi & ludendi assuescere volunt, illiberali opinione, quæ ingenia excitata negligit, sentitque, si vel à limine literas salutârint Principes, sufficere. Non verò committendum, ut copia nimia sit sine arte, sed ut sit ars in arte cum modo. Sunt qui nocere nimium literarum studium Regibus & magnis Viris existimant, de quo pronunciare non audet J. Sambucus. Dignum est Principe magno, quod eruditum est. Nil Principi difficile, nil volenti impervium, & quò res difficilior, hoc animis ab excelsa naturâ ortis dignior, quodque majorem conciliat laudem, cum nominis & stirpis majori commendatione, id magis magisq; sectandum. Eo spiritu Augustus, quantum stirpe, quantumque ingenio excelluit, tantum operæ exegit. In pretio habeant Principes, quod habuit Augustus, *Historiarum sc. studium*, cujus lectioni incubuerat diligentia summa, ut exinde tam *exempla* quam *præcepta* & *publicè* & *privatim salubria* & conferentia, magno collegerit numero. Uti a. oblectatus fuit maximè in historiis intuens summorum Virorum vitas, sic oblectamentum etiam suum quæsivit scribendo *de se* libros, quò inde exemplum ac imitationem sumerent successores, quorum librorum celebritatem arguit allegatio Ulpiani ICti, qui decimum Augusti librum in testimonium adduxit, & verba sunt: *Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatio ipsorum neganda non sunt, & id se observasse etiā* Divus Augustus libro decimo de Vita sua *scribit.* Doctrina decet Principes, maximeque illos honestat Juris legumque peritia l.2 ff. Servius autem ff. de orig. Juris. Imperium sine literis & doctrina, barbarum est, & sordidum, & illiberale, quique præesse vult, ut optimum habeat regnum, accipere hanc conditionem debet, quam Augustus accepit, quamque Justinianus augusta commendavit sententia: *Imperatoriam Majestatem non solum* Armis *decoratam, sed etiam* Legibus *oportet esse armatam, ut utrumque tempus, & Belli & Pacis rectè possit gubernari.* Hausit tantundem literarum Augustus, quantum regno erat necessarium. Hausit utilia studia Historiarum, Eloquentiæ, Politicæ, Jurisprudentiæ, easque literas, quæ ad virtutem discenti profuerant. Regere poterat & pectora mulcere eloquentia, nec, instar Neronis, quod ex Tacito diximus, aliena egebat facundia. Ut conferamus rem in pauca verba, nullus Imperatorum *armis* aut *literis* ante Augustum fuit.

Comm. in Horat. p.176.

Suet.c. 89.p.143.

l.1.ff. de cadav. punitorū.

Procem. Instit. in pr.

5. Natu-

5. Naturæ dotes egregias industriâ juvit, ætate minus quàm juvenis, consiliis & negotiis plusquam Vir, in spem successionis à Julio Cæsare adoptatus, testamento Hæres legitimè dictus, audita Cæsaris nece Apolloniâ relictâ Brundusium venit, Vrbem quamprimùm adit, Hæreditatem petit, ex Adoptionis jure ac beneficio animum ad majora intendit, M. Antonio furente; Matre Atia & Vitrico Marcio Philippo refragante; Amicis & Necessariis dissuadentibus; Senatoribus & Equitibus temeritatem juvenilem mirantibus.

Natus bono publico, fato Urbis & Imperii oblatus adolescens audita Julii nece Romam properè adit, hæreditatem sibi dari petit, adoptionem stabilit, Antonium reluctantem spernit, invidiæ se objicit, Veteranis pecunia sua allectis primitias fortunæ & honorum ponit, velocique prosperitatis cursu progreditur. Non vanam de Augusti virtute excellenti spem conceperat Julius, & ex eo cæperat diu cogitare, quo pacto eidem, ita ut dignum erat, rerum summam relinqueret; utque id facilius præstaret, isque genere ac opibus reliquis præstaret, *Adoptione* elegit *Filium* ac *Heredem*, quæ magna fuerat amoris testificatio; neque Julium fefellit augurium, maximè cùm videret Augustum divino quodam animi vigore pollentem, & præditum singulari diligentiâ, quâ ferebatur non tam in liberales disciplinas quàm militares virtutes. Ea certè tum eruditio, tum virtus fuit Augusti, ut non immeritò omnia illa, quæ à summo atque optimo quoque expectari debent, de præstantissimo Juvene sibi pollicitus fuerit, qui in juvenili ætate tantâ re-

rum

rum humanarum cognitione excelluit, ut nihil amplius desiderari posset; quemque ob animi pulchritudinem ac singulare omnium virtutũ ornamentũ Julius, qui præ aliis dotes juvenis optimè novit, testamento ex parte dimidiâ *Hæredem* & adoptione *Filium* nominavit. Homo cùm spiritum suum vitalem seu animalē, & naturam cũ iis dotibus, quæ naturam ipsam consequuntur, in eum, quem adoptat in filium, ut in proprio & naturali Filio fieri solet, transfundere non possit, *jus paternum*, absque ullo alio Juris fundamento præter suam voluntatem, in adoptatum transfundit. Fulciebatur adoptione nomen & dignitas magnarum familiarum, alioquin pessum euntium; filius n. in familiam adoptatus patris adoptivi dignitatem consequebatur. *lib.1.tit.9.l.5.ϖ.de Senat. lib.1.tit.7.l.13.ϖ.de adopt.lib.10.tit.31.l.4.C.de Decurion.* Testator jubebat adoptatum *nomen suum ferre.lib.36.tit.1.l.63.§.10.Dig.ad Sctum Trebellianum.* Expeditum est adoptionem filiosfamilias facere, lib.1. tit.7. leg.1.ff. adopt. eratque consuetum non tam apud Romanos quàm alios, aliorum liberos adsciscere eos, qui matrimonii onera detrectabant, aut sterile habebant conjugium, aut si liberos vel mors abstulerat, vel animus degener abripuerat. Jureconsulti fusè, deque formulis Brissonius; & de adoptione verâ vel fictâ Th. Dempsterus ad lib.2. Accolti p.101,102. Erat prima potissimaque Adoptionum causa, ut cui liberos, aut certè mares natura denegasset, ea jactura vel privatio legum autoritate sarciretur. Ita Cæsar Octavium; ita Octavius primò Cajum & Lucium, post Tiberium; ita Tiberius Caligulam; Claudius Neronem; Galba Pisonem in jus familiæ transcripsere; atque ita factum, ut ad Neronem usque *per adoptionem* gens Julia fuerit propagata. Celavit Julius, dum viveret, erga Augustum amorē illum paternum, quo constituerat illum beneficio adoptionis decorare, ne, si sciret juvenis, superbior factus mutaretur ab illa civilitate, quam ostendebat. Id his notat verbis Nicolaus Damascenus: Ἐγὼ μὲν οὖν καὶ πρότερον παῖδα ἀποδεῖξαι. δεδιὼς δὲ μὴ ἐλπίδι τοιαύτης τύχης ἐπαρθεὶς, ὅ φιλεῖ τοῖς εὐδαιμόνως τρεφομένοις ἔπεσθαι, ἐκλάθοιτο ἀρετῆς καὶ ἐκδιαιτηθείη, συνέκρυψε τὴν γνώμην. *Jamdudum quidem Cæsar illum adoptare decreverat; sed veritus, ne spe tantæ fortunæ elatus, quod adolescentibus in summâ felicitate educatis usuvenire solet, corrumperetur, neve ab instituto virtu-*

Excerpt. p.486.

tis

tis tramite deflecteret, consilium suum occultavit. Octavius adoptatus *Cæsaris* nomen testamenti vi adsumsit, teste Suetonio, quo & *bonorũ* & *nominis gentilitii* cõmunicationem accepit, antiquo traductionis seu *adoptationis* ritu. Agnoscit secum Augustus hoc Julii Cæsaris beneficium, ei tanquam fundamento innititur, utque non solùm hæreditatem in numerato accipiat, contendit, sed & diligenter secum volvit & revolvit, quomodo ex eâ adoptione, tanquam aliquo Juris fundamento, ad sublime dignitatis culmen sese queat evehere, ut ita & familiæ & orbi universo testatum faceret, se verè filium adoptivum Julii Cæsaris fuisse. In juvene magnanimitas quædam, quæ *μεγαλοψυχία* græcis dicitur, pellucebat, ardua difficiliaque generosè quærens. Ea invidiæ statim obnoxia Antonium habet hostem arrogantem, sic n. solet evenire, ut invideatur τῷ ἐκ τῆς ἀγαν ἀρετῆς λαμπρυνομένῳ, *ei sc. qui virtute inclarescere nititur.* Quanto n. minor est ætate & experientiâ præ Antonio, tantò major, quod non audenda audeat, seque ipsum superet Octavius. Flagitii verò nobilitate Antonius jactat de iis sese, quæ indigna dictu sunt coram juvenibus, quorumque pudere Senem par fuisset. Octavianus animadvertens Antonium sibi infensum non tam vafritie quàm viribus pollere, ætate & societate superare, animum illico non despondet, quin potius, quò callidiorem & robustiorem intelligit esse adversarium, eò majore curâ & industriâ rem gerit, diligentius vigilat, ne quid Testamento, ne quid Adoptionis juri & beneficio decederet. Quantò majora fuere impedimenta objecta juveni, neque altis satis majoribus aut favitoribus, neque divitiis & viribus instructo, tanto majus habendum, quod ille præstitit. Obstabat ausibus Mater, obstabant Vitricus Philippus & Antonius, sed generosi animi impetus obstacula nulla admittebat. *Ut primum,* Suetonio scribente, *occisum Iulium, hæredemque se comperit, diu cunctatus, an proximas legiones imploraret. Id quidem consilium, ut præceps immaturumque, omisit. Cæterum Urbe repetitâ hæreditatem adiit,* dubitante Matre, Vitrico *verò* Marcio Philippo *Consulari multum dissuadente.* Dubitabat Mater, dissuadebat Pater, res quia discriminis & invidiæ plena, tempore difficilimo Rempublicam quassatam suscipere, atque in se recipere, nondum plenâ adoptione nondumque firmatâ hæreditate, necis Julianæ ultionem. Octa-

c. 7. p. 71.

Isid. 5. *Ep.* 341. p. 663.

c. 8. p. 72.

vius verò, seipsum superans omnique periculo major, Cæsarem jactabat sibi non *Amicum*, sed *Parentem* fuisse, non *Commilitonem*, sed *Imperatorem*; non coràm hoste aut belli jure occisum, sed nefaria Conjuratorum manu oppressum, obtendebatque pietatis jus,
Il. 6. v. 98. lib 3. Civil. p. 534. usurpato Achillis ad Thetidem versu Homerico, referente Appiano:

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι.
Dispeream cæsi nisi jam fuero ultor Amici.

Bona mater Augusti morum quidem fuit Magistra bona, sed importunè agit, dum arguit filium, hortaturque de deserenda hæreditate ob pericula futura. Parum proficit materna hortatio in Filio, stationem honestam in publico ambiente. Nuntiaverat fama, Cæsarem multo vulnere confossum obiisse, & effusi sanguinis *Proceres* esse reos. Non nescit hæredem se Julii scriptis ac lege vocari. Hic dubitat, quibus consiliis quave dextra tentanda res sit; quo se primùm munimine firmet, quo orbe quove milite auxilium petat. Cautior præceps damnat consilium, arma premit, dolorem dissimulat, Romam adit, neminem lacessit, petit sibi apud Prætorem dari, testamento quæ Cæsaris acta fuissent. Erat tunc Prætor
Appian. 3. Ἐμφυλ. p. 534. Urbis, Cajus Antonius, frater Marci, quem accedens ait δέχεσθαι τὴν θέσιν τοῦ Καίσαρος, *se adoptionem accipere.* Primum de Cæsaris morte nuntium acceperat *Apolloniæ*; inde veniens *Brundusium* certior factus de Testamento Julii *Adoptionem* acceptat, nomen *Cæsaris* assumit, & Romæ se inscribi apud Prætorem urbanum petit. Erat Prætoris urbani munus Adoptiones confirmare, debitorum
3. de bell. civil. p. 534. causas cognoscere, & jus dicere, de quo Appianus: Τὸν Γάϊον Ἀντώνιον, τὸν ἀδελφὸν Ἀντωνίου, στρατηγοῦντα τῆς πόλεως, ὑπαντιάσας, ἔφη δέχεσθαι τὴν θέσιν τοῦ Καίσαρος. ἔθος γάρ τι Ῥωμαίοις, τοὺς θετοὺς ἐπὶ μάρτυσι γίγνεσθαι τοῖς στρατηγοῖς. ἀπογραψαμένων δὲ τῶν δημοσίων τὸ ῥῆμα, εὐθὺς ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἐς τὸν Ἀντώνιον ἐχώρει. *Cajum, fratrem Antonii, Prætorem urbanum, accedens, ait se adoptionem accipere, qui mos Romanus est, adoptioni autoritatem Prætoris interponere. Hoc a verbo relato per Scribas in acta publica, statim è foro Antonium adiit.* Idem de adoptatorum jure & confirmatione adoptionis per Legem Curiatam pag. 586. Ἑαυτὸν εἰσεποιεῖτο τῷ πατρὶ κατὰ νόμον

Κυράτιον. ἐστὶ δ' ἐπὶ τοῦ δήμου γίγνεσθαι τὴν θέσιν. Ἐπινομώτατος δ' ἐστὶ Ῥωμαίοις ὁ τρόπος οὗτος ἐπὶ τῶν ἀπατόρων, καὶ δύνανται μάλιστα αὐτοὶ ἴσα τοῖς γνησίοις παισὶν ἄγειν τοὺς συγγενεῖς, τῶν θεμένων καὶ ἀπελευθέρους. *Seipsum in Patris familiam ac nomen inseruit* Curiatis Comitiis, *hoc est, per plebiscitum. Est a. hujusmodi orborum adoptio maxime legitima, nam sic adoptati idem quod nativi filii jus habent erga suorum Patrum cognatos ac clientes.* Curiata lege cautum erat circa adoptiones, ut liceret plebejo *P*atritium adoptare, non *Pa*tritio plebejum; ut is adoptaret, qui neque procreare jam liberos posset, & cùm potuisset, expertus esset; ut tum generis ac dignitatis, tum sacrorum ratio haberetur, atque ita fieret omnis adoptio, ut ne quid de dignitate familiæ, aut de sacrorum religione minueretur; & tandem, ne qua omninò calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhiberetur. Hæc circa adoptionem Lex jubebat; Legem Magistratus ferebat: de causis *P*ontifex cognoscebat; nam, quod Tacitus habet, *lege curiata apud Pontifices adoptio* fiebat. Causas adoptandi esse oportuit, de quibus *P*ontifices erant Judices; si causæ probarentur, Curiata lex ferebatur. *P*ræparatus eo jure Octavius Adoptionis suæ fundamentum palam pro concione sistit ab omni errore immune, quem altior animi spiritus impellit ad ratum sibi faciendum jus adoptionis. Adoptionem sequitur *Hæreditatis acceptatio*, hanc *Ultio cædis Iulii*, arduo quidem sed felici ausu, καὶ τότε μὲν προπετῶς τε τισὶ τοῦτο καὶ τολμηρῶς πεποιηκέναι ἔδοξεν. ὕστερον δὲ ἔκ τε τῆς εὐτυχίας καὶ ἐξ ὧν ἐπικατώρθωσε, καὶ ἀνδρείας ὄνομα προσεκτήσατο. οὕτω μὲν ἥψατο τῶν πραγμάτων, καὶ αὐτὰ καὶ κατέπραξε καὶ κατειργάσατο, παντὸς μὲν ἀνδρὸς νεανικώτερον, παντὸς δὲ πρεσβυτέρου φρονιμώτερον, *atque tunc quidem, quum hæc iniret, videbatur nonnullis temerariè nimisque audaciter agere, sed pòst quum fortunâ prospera usus rem præclare egisset, fortis viri nomen accepit. Rem vero omnem ita aggressus fuit, ut viros omnes virili animo, senes omnes prudentiâ superasse visus fuerit*, judice Dione. Hæreditatem periculis stipatam variis, ut vix tuta esse videretur, petiit, nihil cunctatus. Contenditur de hæreditate, testamentum profertur, tabulæ reserantur, Antonius contradicit. De eo Testamento Nicolaus Damascenus Hist. p. 486. Ἐν ταῖς διαθήκαις αὐτὸν υἱοῦται ἄπαις ὢν ἀῤῥένων παίδων, καὶ κληρονόμον ἀποδείκνυσι τῆς τύχης πάσης. τετάρτην δὲ μοῖραν

Margin notes: 1. *Hist.* 15. 1. — *lib.* 45. *p.* 308.

τῶν χρημάτων τοῖς ἄλλοις διένειμε φίλοις τε καὶ ἀστοῖς. *Masculæ prolis experseum* (*August.*) *in familiam nomenque adscivit, hæredemque omnium bonorum instituit, quadrante duntaxat Amicis ac Civibus relicto.* Et Suetonius in Julio Cæsare: *Novissimo Testamento tres instituit hæredes sororum nepotes,* C. Octavium *ex dodrante*, & L. Pinarium & Q. Pedium ex *quadrante* ; *reliquos in imâ cerâ.* D. Brutum *etiam in secundis hæredibus.* [c.85.p.62.] Hæreditas plerunque dividebatur *in duodecim uncias*, quæ *Assis* appellatione continetur; quique totam sine socio adibat hæreditatem, *ex asse* id fieri dicebatur; qui non totam adibant, uti hic in Testamento Julii aliquot hæredes habentur, alii *ex quadrante*, nonnulli *ex dodrante*, alii *ex semisse* capiebant portiones hæreditatis. [*lib.2.tit.14.§.2. de hæred. Instit.*] Cajus Octavius hîc accipiebat *dodrantem*, id est, novem uncias sive tres quartas ; L. Pinario verò & Q. Pedio *quadrans reliquus* cedebat, scilicet quarta pars hæreditatis, seu tres unciæ ex integro asse. Primos & principes hæreditatis initio tabulæ, reliquos in imâ tabulæ parte, sive *in imâ cerâ* subscribebant; *ima a. cera*, quia in ceretis tabulis sive pugillaribus solebant testamenta scribere. *Secundos* autem *hæredes* vocant, qui primis substituuntur, ut si illi decesserint, isti in hæreditate succedant, *lib.2.tit.15. prin. Inst. de vulgar. substit.* quamdiu enim institutus adire potest, substitutus non admittitur *lib.29.tit.2.l.3. l.69. ff. de acquirenda hæredit.* Institutionem dicimus & substitutionem, sequentes Hæredum diversam distinctionem, Ulpiano & Modestino docentibus, quorum alii *Instituti* dicebantur, alii *Substituti.* Illi, qui primo erant gradu scripti, *primi hæredes* vocabantur *lib.29. tit.1.l.17.§.ult.ff. de testam. milit. lib.6.tit.33.l.1. C. de Edict.* dicebanturque *Instituti.* Qui verò erant scripti secundo gradu, vel tertio, quarto, quinto, *substitutorum* nomen capiebant. Sic *gradus hæredum* in Testamento Julii erant observati. *In* tabulis ceratis olim scribi solitum, toties dictum. Stilus, quo exarabatur, osseus, plerumque ferreus fuit. Chrysalus apud Plautum ad literas scribendas & signandas jubet afferri Stilum, ceram, tabellas & linum. [*Bacchid.* 4.4.v.76,96.] De hâc κηρογραφίᾳ consuli potest Vossius 4. Idol. 91. p. 1613. seqq; & in Etymologico pag, 509; de stylographiâ, Hugo de scribendi orig. & rei. liter. antiq. c. 9 p. 84,85,86. Quomodo verò Testamenta in tabulis ceratis scripta fue-

fuerint, docet Hotomannus 4.Obſerv.1.Hæreditatem hanc teſtamentariam Auguſtus adiit, nil metuens, nec odio Antonii, nec periculis ſuis deterritus. Extant ſermones Octavii ad Antonium, & Antonii ad Octavium, apud Appianum 3.Bell.Civil. p.535. uſque ad p.539.hæreditatem concernentes, ex quo mutuo ſermone concitatior Octavius diſceſſit, ſolicitus, quomodo Senatum & populum ſibi demereri poſſet, memoratque amorem Plebis erga Octavium Hiſtoricus p.539.540,541,544,545,546,nec non reconciliationem inter Cæſarem & Antonium, intercedentibus Tribunis militum, bis inſtitutam p.545. & 551, quæ mox diſſoluta in apertum odium tranſiit. Semel ſtatuit velificari ſuo honori Auguſtus, vel quocunque periculo.Magno cum periculo comparatur, quod multis diſplicet: nec minori cum periculo cuſtoditur,quod multis placet. De eventu cætero agetur, cùm de Bellis nobis dicendum, maximè Mutinenſi, quibus magna rerum mutatio facta fuit, Auguſto ubique Victore,quibus in victoriis aſpecturi ſumus Auguſtum adoptatum,ut jam Julium adæquet,& quod magis,vincat.Comparatus Julio, inde fælicior Julius, quia vincitur ab eo, quem adoptivum voluit. Generoſa adoptatio, ubi adoptatus major fit Adoptante.

6. Arma induit adverſus Antonium, ſibi in adeundâ fortunâ&honoribus obſiſtentem repellit, Mutinæ Decimum Brutum obſidentem invadit,in fugam vertit, victricibuſque ſignis territum ad mitiora conſilia flectit, duobus Conſulibus Hirtio & Panſa eodem prælio occumbentibus.

NAtus fuit Octavius Auguſtus ex Julii Cæſaris ſororis filiâ Atiâ,ab Julio Cæſare adoptatus, & propterea nomine *Cæſaris* appellatus,*Hæreſque* factus hæreditatem petiit, quam cùm vellet adire, obſtitit Antonius. Contemnit is mandata ſuprema Julii, *lacerat*

4.4.2.p. 356. *lacerat furtis hæreditatem*, Floro dicente, *ipsum insectatur probris, cunctis* denique *artibus cooptationem Juliæ gentis inhibet*. Malis artibus agit Antonius, depositamque à Julio pecuniam intervertit, quod Dio lib.44.p.304; Appianus 3.bell.civil.p.536; Vellejus 2, 60.p.60. clarè referunt. Judicem iniquum agit, nec patitur, ut causa cognoscatur à Judicibus, in gratiam Antonii flexis, cum damno & detrimento Octavii, nunc instrumenta frustra producentis, nunc frustra Senatusconsultum, quo Julii acta fuerant confirmata, implorantis, Antonio eludente illud Sc., ut in speciem temporisque
3.Bell. Civ.p. 540. gratiâ factum, referente Appiano; hinc *juvenis & ætate & injuriâ favorabilis* factus, Floro dicente, Antonius verò odio habitus. Fastus Antonii, quo ad tyrannidem inclinabat, Octavianum juvenem postponebat, atque præ generis aliquâ vetustate, dignitate & opibus contemnebat, quem jam augurabatur virtute & gloriâ nominis, à Julio per testamentum & adoptionem sibi commendatâ, niti ad gradus eosdem, in quibus ipse jam Antonius superbiebat, atavorum suorum magis quàm proprio Marte adeptos. Non cogitabat stirpem, quam crepabat, in suis vitiis desinere, quæ ex tenuioribus aliquando principiis creverat, in virtutibus verò Octaviani adolescere. Careret ille ceris & imaginibus Majorum, quid illud ad Antonium? Invidia mutavit animum Antonii, & invida ambitio obstabat conatibus egregii Juvenis, ubi & quando poterat, adeò ut ei invideret ea beneficia & munera, ad quæ tamen promiscuè omnibus patebat aditus, nec daret, nisi sub largitione maximâ. Inde Suetonius cap.10.p.73. *Adversante conatibus suis* (de impetrando Tribunatu) *M. Antonio Consule, quem vel præcipuum adjutorem speraverat*, (propter beneficia Jul. Cæsaris in ipsum A. collata) *ac ne publicum quidem & translatitium jus ullâ in re sibi sine pactione gravissimæ mercedis impertiente*, ad Optimates *se contulit*. De hac in fortunam hæreditatis & adoptionis invidiâ Florus: *Prima civilium*
4.4.1. *motuum causa* (post Julii cædem) *Testamentum Cæsaris fuit, cujus* secundus hæres Antonius prælatum sibi Octavium *furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi juvenis susceperat bellum*. Expressiùs causam dicit Cicero Phil.2.col.856. *cupiditatem dominandi*, quâ solâ *Cæsari Julio* comparandus erat. Majori fortunæ fecit locum illa invidia Antonii, illaque injuria erga adolescentem, tanti à Julio

habi-

habitum, quæ dissensio inter ferocem senem & amabilem adolescentem innovandarum mox rerum civili bello, eoque *inexpiabili*, ut vocat Florus, præbuit occasionem. Eo ipso quo occisus fuerat anno Julius, Collega M Antonius non tantùm in funere Cæsaris Orationem habuit, affectuum plenam, sed & acrior institit, ne in tantâ exercitus vi sine Rectore Urbs & Resp. esset, ob quæ festinavit, & quæ usui essent sibi, maturè tentavit, multa pro negotio illo locutus, etiam iniquè usus Magistratu. Illud a. facili fieri posse medio sperabat, tribus Antoniis, se duobusque Fratribus, in Urbe Magistratum gerentibus; ipse n. erat Consul; Lucius, Tribunus Plebis, & Cajus Prætor, notante Dione, qui de Marco addit illum omnia egisse, tanquam is κληρονόμος οὐ μόνον τῆς οὐσίας, ἀλλὰ καὶ τῆς δυναστείας τῆς τοῦ Καίσαρος, *non solum facultatum sed & potentiæ Cæsaris hæres* esset. De tribus verò Antoniis eodem in Magistratu agentibus lib. 45. p. 311. Τρεῖς γὰρ οἱ ἀδελφοὶ οἱ Ἀντώνιοι οὗτοι ὄντες ἀρχὰς ἅμα πάντες ἔχον. ὁ μὲν γὰρ Μάρκος, ὑπατεύων. ὁ δὲ Λούκιος, δημαρχῶν. ὁ δὲ Γάϊος, στρατηγῶν. *Erant tres fratres Antonii, gerebatque quilibet eorum aliquem Magistratum. M. Consulatum; L. Tribunatum Plebis; C. Præturam.* Itaque facilius poterat conficere Antonius sua consilia quàm Octavius, qui facile potuisset terreri & commoveri tantis nominibus. Toti tunc in ambitione Antonii neminem præter se vel sine se honorari patiebantur. Totus in fermento ambitionis M. Antonius primatum in Republicâ obtinebat, metu, non amore Senatus aut Populi, & Octavius ab eo tanquam ultimæ sortis homo habitus, cui non verebatur dicere, φορτίον ἀβάστακτον αἱρεῖσθαι τὴν τοῦ Καίσαρος διαδοχὴν, *onus cui impar esset subire, dum in Cæsaris fortunam & bona cuperet succedere*, Plutarcho memorante; κληρονομίαν εἶναι χαλεπὴν καὶ δυσμεταχείριστον, *hæreditatem esse difficilem, & quæ comprehendi facile non queat*, Dione teste. Metuebatur Antonius, quia potentiâ prævalebat, (πλεονεκτεῖν id Dio dicit) ast longè inferior visus Octavius prævalebat ex studio populi, ἡ γὰρ σπουδὴ τῶν ἀνθρώπων ἐς τὸν Καίσαρα ἔῤῥει, *favor enim populi ad Cæsarem inclinabat.* In tantâ fortunâ nullus sibi tum major videbatur quàm Antonius, nec fuerat, cumque animus constaret Juvenis adversus Antonium insurgendi, & hæreditatem suam tuendi publicè, ibi Antonius ridere juvenem, contemnere, exagitare, *ad opprimendum.*

lib. 44. p. 305.

Anton. p. 922. l. 44. p. 304.

p. 312.

num.3. *mendum juvenem palam arma moliri*, Floro dicente. Utitur suâ defensione contra ventosum Antonium juvenis, & suæ causæ confidit, studiaque populi novit. Ut honori suo & fortunæ consuleret, audet fæliciter, sibique comparat ex adversâ parte militem; dumq; viret florens ætas, paratum habet in Urbe Civem & Fautorem, 1. de Clement. 10. p.471. Plebem & Optimates. *Sallustium*, notante Seneca, *& Coccejos, & Duillios, & totam cohortem primam interioris admissionis ex adversariorum castris conscripsit; nam Domitios, Messallas, Asinios, Cicerones, & quicquid floris erat in civitate, clementiæ suæ debebat.* Cùm adversaretur Antonius, *ad Optimates* se contulit, quod antea cum Suetonio diximus, optimè drama instituens vitæ suæ. Erat tùm M. Cicero ejus Ordinis maximè princeps, qui Octavium in Antonii invidiam complexus, brevi reddit Senatui acceptissimum. Ipse verò scena commodè utens favorem per se aucupari, brevique sese modò multitudini, modo Optimatibus, insinuare novit, ut meritò esset Antonio formidabilis. Qui optimates, quique populares fuerint, c.21.p. 130. docet sub finem egregii libri *de antiquo jure civium Romanorum* Sigonius, totum librum concludens: *Pravis partium studiis, atque perniciosa* Optimatum *ac* Popularum factione *antiquæ, quæ post bellum Tarentinum prorsus extinctæ erant, exsuscitatæ sunt in civitate seditiones, neque v. antè finem civilium contentionum fecerunt, quàm Remp. unam omnium bello paceque post hominum memoriam florentissimam iisdem armis, quæ ab ipsa pro sua salute & dignitate defendenda acceperant, deleverunt, tum sc. cùm in duas partes distracta Civitas Cæsarem* Plebs *tueretur, Pompejo* Optimates *hærerent.* Cæsare *a., qui victor universa ad se unum translata Rep. tyrannidem exercere putabatur*, per Optimates *interfecto*, Antonio *se, atque inde* Octavio *populus adjunxisset, Brutum & cæteros Patriæ liberatores Curia cum bonis omnibus* (optimates intellige, sic etiam dictos) *sectaretur.* Optimates erant in Urbe habiti, qui consilia sua optimo Or pro Sextio col. 680. cuique probarent, ex quocunque etiam essent Ordine, patritio, equestri vel plebejo, quod tradit Cicero. Qui multitudini studebant placere, *Populares* dicti. Erant etiam *Medii* inter utrosque Not. ad Constant. Excerpt. p.75. quorum πολιτεία διὰ μέσε Dionysio, *factio media* Salustio, exponente Valesio. Quibus sibi modis conciliaverit *Plebem* & quibus deliniyerit officiis, tradit Appianus 3. B. C. p. 540, 541. Inter Optimates

mates Ciceronem eligebat, cujus valebat tum autoritas, ipseque Cicero de illo, sua consilia sequente: *Cæsar Deorum immortalium beneficio divini animi, ingenii, consilii magnitudine, quanquam sua sponte, eximiáque virtute, tamen* approbatione auctoritatis meæ *colonias Patris* (Julii) *adiit; veteranos milites convocavit, paucis diebus exercitum fecit; incitatos Latronis* (Antonii) *impetus retardavit.* Urbs Julio Cæsare cæso pro uno Domino multos, imò nullos, acceperat, & Antonius, in spem unius assurgens nulli fidit. Regiâ potestate exilio Tarquinii finitâ duos pro uno Dominos accepit Urbs; nunc variorum ingeniorum calore inquietata dubium, sub quorum manibus res publica. Æstuat Antonius, æstuant Brutus & Cassius; calet Octavius. Omnes astutè, obliquè, simulatè. Nemo magis dementior Antonio, nemo immoderatior, nemo cupidine potentiæ ferventior. Nullum tam præceps consilium, quod non placeret huic potius, quàm ut Octavium admitteret, aut cederet Bruto. In re creperâ Cicero præceps opem fert consiliis & autoritate Octavio, quod certè sine turbis fieri non poterat; neque tamen cessavit inter periculosam illam animorum diversitatem Octavio patrocinari, διὰ γὰρ τὸ πρὸς Ἀντώνιον ἔχθος, σφοδρότατον ὑπάρχον, τόν τε Καίσαρα ἐθεράπευε, καὶ πᾶν, ὅπερ ἐδύνατο καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ, τούτῳ τε ἐβοήθει, καὶ ἐκεῖνον ἐκάκου, *quum enim esset Antonio infensissimus, Cæsari unicè studebat, nil intermittens, quibus eum juvare posset modis, Antonium autem reprimere.* Eo ex desiderio Orator advigilabat assiduè, ubi incommodare Antonio posset, atque se parabat publicis Orationibus, intemperantiùs etiam habitis, implere, quod Octavio quærebat. De recuperandâ libertate cogitans Octavium armat adversus Antonium; Orationes stylo ferreo scriptas in Antonium, quas inscripsit *Philippicas*, emittit, quibus gravissimè invectus est. Urbem se aliquando *divisurum* dixerat M. Antonius, quod verbum detestatur Philipp. 4. col. 867; quem *civem sceleratum* & *perditum* dicit Philipp. 5. col. 870; *gladiatorem amentem*, col. 871; *pestem; hominem vehementem & violentum; teterrimum & crudelissimum hostem*, col. 873; *latronem, impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium, alterum Annibalem*, col. 874; *sceleratum gladiatorem*, col. 876; *hominem amentissimum atque omnibus consiliis præcipitem & devium*,

Philipp. 5. col. 874.

Dio l. 45. p. 315.

devium, col.877; *hominem impotentissimum*, col.878; dumque Cicero, Antonio in primis iniquior, nec quis exitus rerum futurus sit, satis perpendit, strenuè Octavianum contra Antonii minas juvat, neque patitur se avelli, vel Bruti, vel aliorum consiliis. Fortunam Juvenis putabat fortunam Reipublicæ, quo ipso nō parum offensæ meruit, cum periculo tandem capitis. Teneantur, quæ valent Ciceronis judicia: *C. Cæsar adolescens, penè potius puer, incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum, cùm maximè furor arderet Antonii, cumque ejus à Brundisio crudelis & pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis, quia fieri posse non videbatur, firmissimum exercitum invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque suum effudit.* Corrigit verò vocem *effundere*, & ait *in salute Reipublicæ collocasse.* Et Philipp.3.col.857: *Nisi Cæsar in hac Republica natus esset,* Rempublicam *scelere Antonii* nullam *haberemus. Sic enim perspicio, sic judico, nisi unus adolescens illius furentis impetus crudelissimosque conatus cohibuisset*, Remp. funditus interituram *fuisse.* Eodem ad Brutum Epist.3.col.605 modô: *Certè, nisi Cæsar Antonium ab urbe avertisset*, periissent *omnia.* Philippicâ IV suadet, ut Imperatoriâ dign[illegible]e in Antonium eligatur Octavius, ut Legionibus, quæ secutæ fuerant Octavium, præmia decernerentur, & ut Antonius *Hostis* à Senatu judicetur. Vehemens est ea Oratio, ex quâ notat emblemata de avaritiâ & turpi mercatu Antonii Acidalius. Quid Philippicis cæteris agatur, historicè exponit Franc. Fabricius in Histor. Ciceronis p.136,137,138,139,140. De felicitate verò eâ, quâ Octavius Antonium repulit ab urbe, Philipp.5.col.878. *C. Cæsar nisi fuisset, quis nostrûm esse potuisset? Advolabat ad urbem à Brundisio homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omnes bonos, cum exercitu Antonius. Quid hujus audaciæ & sceleri poterat opponi? Nondum ullos Duces habebamus, non copias. Nullum erat consilium publicum, nulla libertas. Dandæ cervices erant crudelitati nefariæ: fugam quærebamus omnes, quæ ipsa exitum non habebat. Quis tum nobis, quis populo Rom. obtulit* hunc divinum adolescentem Deus? *Subito præter spem omnium exortus prius confecit exercitum, quem furori M. Antonii opponeret, quàm quisquam hoc eum cogitare suspicaretur.* Laudat Octavium Cæsarem Philipp.8.col.692, quia

Philipp.3. col.857.

Vellejan. ect.p. 473.

non

non exſpectato Senatûs decreto bellum contra Antonium ſuâ ſponte ſuſceperat: *decernendi enim tempus,* ut ille ait, *nondum venerat, belli autem gerendi tempus ſi prætermiſiſſet , videbat Republ. oppreſſa nihil poſſe decerni.* Idem Philipp. XIII. col. 929 Cæſaris *incredibili ac divina virtute Latronis impetus crudeles ac furibundos* retardatos *ait.* Et Philippica XIV col. 942. *Quid? Cæſarem Deorum beneficio Reip. procreatum , dubitemne appellare* Imperatorem, *qui primus Antonii immanem & fœdam crudelitatem, non ſolùm à jugulis noſtris, ſed etiam à membris & viſceribus avertit?* Poſtea col. 943. *An quiſquam dubitabit appellare Cæſarem* Imperatorem? *Ætas ejus certè ab hac ſententia neminem deterrebit, quandoquidem virtute ſuperavit ætatem.* Manifeſta ſunt etiam, quæ hinc inde in Epiſtolis habentur. Iterare legendo non pigeat eorum pauca , quibus inſultat Antonio, Octavio favet. De Antonii dominatione quid ſentiat, habemus ex Epiſtolâ ad Plancum: *Quæ poteſt ſpes eſſe in ea Rep.* 10. *Fam.*
in qua hominis impotentiſſimi atque intemperantiſſimi armis oppreſſa 1. *col.* 157.
ſunt omnia? & in qua nec Senatus, nec populus vim habet ullam? nec Leges ullæ ſunt, nec Iudicia, nec omnino ſimulacrum aliquod, aut veſtigium civitatis. Quàm flebiliter de rebus ſub Antonio confuſis *Epiſt.* 10.
idem Vir ſapiens ad Brutum: *Non ratio, non modus, non lex, non mos,* *col.* 609.
non officium valet. Non judicium, non exiſtimatio civium, non poſteritatis verecundia. Quàm cogitabundus de vacillante Republica & rerum ruentium nutu 1. ad Attic. 15. col. 305. *Iam exclames neceſſe eſt, res Romanas diutius ſtare non poſſe.* Quàm deſperabundus idem: *Quem fugiam, habeo: quem ſequar, non habeo.* Conſilii inops prudentiſſimus Cicero neſcit ſæpe, quid ſentiat, & cui credendum ſit. Magni conſilii erat, ſcire, cui aſſentiaris , & dum diu vacillat varii conſilii Vir, ab Antonio ſejunctus quam maximè caput ſe conſiliorum fuiſſe in repudiando Antonio , admittendo Octavio expoſuit
Bruto : *Romam ut veni, ſtatim me obtuli Antonii ſceleri atque de-* *Epiſt.* 15.
mentiæ, quem cùm in me incitaviſſem, conſilia inire cœpi Brutina pla- *col.* 613.
nè Reip. liberandæ. Longa ſunt quæ reſtant, prætereunda, ſunt enim de me; tantùm dico, Cæſarem hunc adoleſcentem , *per quem adhuc ſumus, ſi verum fateri volumus , fluxiſſe* ex fonte *conſiliorum meorum.* Eodem calore in ſceleratum Antonium ſcribit ad eundem Bru- *Ep.* 7. *col.*
tum: *Res in eum locum venerat, ut niſi Cæſari Octaviano Deus qui-* 624.

dam illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis & turpissimi M. Antonii veniendum fuerit, quocum vides hoc tempore ipso, quod sit, quantumque certamen. Id profectò nullum esset, nisi tum conservatus esset Antonius. Nempe Antonius non morderet, si fuisset sublatus, non servatus. Quàm iterum atque iterum erectus in Octaviano! Omnis in eo tandem spes, denegato aliunde auxilio, sed ut libertatem antiquam crederet Cicero per eum iri reductum, in quo falsus fuit, idque præsagiens dixerat Brutus, objiciens, in amplexando Cæsare Octavio non *Dominum* fugisse, sed *mitiorem Dominum* quæsivisse; & indignans, *pueri Octavii* cupiditatem potius irritatam esse à Cicerone, quàm repressam, Epist. ad Attic. 17. col. 618. Ob hoc in Octavium studium impensius Ciceronem à Bruto objurgatum retulit Plutarchus, itidem docens, quomodo in magnâ confusione ac tumultu, dum Dolabella in locum Cæsaris Consulatum arripit, Octavii adventu μεταβολὴ πραγμάτων, *mutatio rerum*, facta fuerit. In hoc rerum discrimine, Cæsare jam interfecto, Cæsaris Pontificatum M. Lepidus interceperat. Senatus Dolabellæ Syriam, Antonio Macedoniam Provincias decreverat; vel potius Dolabella & Antonius, Consules, sibi decreverant. Mutatio super hæc acciderat, ut Antonius & Dolabella *Hostes Patriæ* judicarentur. Interfecerat per fraudem Smyrnæ Dolabella C. Trebonium Asiæ Præfectum, magnis cruciatibus, quæstione publicæ pecuniæ per biduum habitâ, unde à Senatu *Hostis* judicatus est, Cicerone id agente, ut Dolabellam C. Cassius bello persequatur, quem etiam victum Cassius Laodiceæ ad mortem adigit. Legendus Dio lib. 47. p. 392, 393; & Cicero Philipp. 11. col. 907, 909, 910, 915, 916, ubi initio Orationis vehemens est: *Duo hæc capita nata sunt post homines natos teterrima & spurcissima*, Dolabella & Antonius, *quorum alter effecit, quod optabat; de altero patefactum est, quod cogitaret. Ecce tibi geminum in scelere par, inusitatum, inauditum, ferum, barbarum.* Dolabella interfecto impotens sui Antonius altiora cogitat. Legem de provinciâ permutandâ, & Galliâ citeriore accipiendâ, Senatu refragante, ad populum per vim tulit, & Octavium petentem dari sibi hæreditatem, & ut sibi adversus Avunculi percussores adesset, variis affecit injuriis; Appian. 3. B. C. p. 543, 544, 545. Malè acceptus Octavius de variis mediis consilia

Brut. p. 994.

inire,

init, de viribus parandis solicitus. Consultius quidem esse judicabat Mater, ne caput charum objectaret periculis, neque se, neque Rempublicam in casum daret. Non pauci Optimatum & Primorum variis in medium productis rationibus dissuadebant ea, quæ apud animum suum obfirmatè statuerat, tentabatque audaciùs, id quod de Matre, Vitrico, Amicis retulit Appianus. Sic pupillus quasi erat Octavius, Vitrico & Matre deserente, absente Amico, nec erat, qui consolaretur, qui protegeret. Destitutus ab omnibus majori desiderio rapitur, inhæret Testamento, & quidquid habet, insumit, sibi sperans adjutoriũ Numinis, quô agente adolescentis animus ad audendum confirmatior omnia agebat. Numen divinum hunc inspirasse animum jure dixit Vellejus, pulchris disserens verbis *fatorum impulsu* universa fuisse acta, sicuti nil agitur in humana vita universa sine Providentia divina, quam *Fati* nos nomine intelligamus. *Non placebat*, inquit, *Atiæ matri Philippoque Vitrico, adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris. Sprevit itaque cælestis animus humana consilia.* Superatis omnibus insidiis & impedimentis Consiliorum humanorum, sive venirent domi sive aliunde, cæpit adoriri suprema, summo hujusmodi imperio, quale cogitabat, ingenium simile & aptum à Numine habens; sicut etiam successor ejus Tiberius solam divi Augusti mentem *tantæ molis capacem* fuisse memorabat Senatui, vim nesciens Numinis. Admiratur autem rectius Vellejus *cælestem animum* Augusti, veneraturque altiorem instinctum, quo spretis consiliis Atiæ matris Philippique Vitrici *cum periculo potius summa quàm tutò humilia proposuit sequi, dictitans, nefas esse, quo nomine Cæsari* (Julio) *dignus esset visus, semetipsum videri indignum.* Effectum inter ista pericula varia *divino munere*, quod verè ait Valerius Maximus, *ne destinatum immortalitati caput indignam cælesti spiritu fortunæ violentiam sentiret.* In eo certè adolescente fuêre virtutes plusquam humanæ, quodque Gellius de Scipione, idem de fortissimo Octavio dicturi sumus, *divinæ virtutis* fuisse, idque res ab eo clarissimè gestas planè testari. Quis dubitet, *altiore instinctu & supra modum humanæ præsagitionis injectum* Cæsari *consilium, ut adoptaret Octavium, qui cælesti quâdam fortunâ perfecturus esset, quicquid ipse vel cæperat, vel meditatus erat*, scribente Cl. Boeclero. Ubi magnæ rerum mutationes imminent, Heroas

3. Εμφυλ. p. 532.

2.60.1.

Tacit. 1. *A.* 11. 2.

1.7. *p.* 28.

7. *N. A.* 1. *p.* 260.

Diss. ad Suet. p. 25.

Charact. roas excitara à Deo idem Dn. Boeclerus disserit. Heroa Octavium
Vellej. 2. ad omnia summa & publica natura genuit, virtus instruxit, Deus
13. provexit. Breviter & egregiè, de Brevitate Vitæ disserens Seneca:
c.5.p. *Divo Augusto Dii plura quàm ulli præstiterunt.* Deus nihil non
562. agens in mutationibus Regnorum sibi eligit & præparat eminentia
ingenia, qui, quâ parte volunt, præstant, quorum indoles virtutis
eminet, cùm res in discrimine versatur. *Certè*, judicio A. Victoris,
p.626. *nunquam aut Reipublicæ ad se potentiam traxisset Octavius, aut tamdiu eâ potiretur, nisi magnis naturæ & studiorum bonis abundasset.*
Bona illa concessit Deus, & inde incitatior Octavius vigentem se
ac parem negotiis ostendebat primâ occasione agendi contra Antonium, tanto gratior validus juvenis, quantò solutior in mollitiem
senex putridus; utque hunc ignavia luxus ad famam protulerat, ita
illum industria. Regnandi in utroque contentio erat; in Senatu &
populo confusio; utrobique extremus conatus. Alter alterum, ut
supplantaret, ut tolleret, tentabat. Increbrescebat de ipso Octavio
c.10.p.73. mature insidias vitæ Antonii posuisse, scribitq; Suetonius: *Hortantibus nonnullis percussores Antonio subornavit. Hâc fraude deprehensâ,
periculum invicem metuens* (nam Antonii petitum quotidianis insi-
2,60.6. diis scribit Vellejus) *Veteranos simul in suum ac Reip. auxilium,
quanta potuit largitione, contraxit.* Dum illæ essent Antonio cum
2.60.3. Augusto simultates, insidiis clanculum petitum ab Augusto An-
& 6. tonium fama fuerat. Augustum vindicat, & Antonium accusat Vel-
de Clement. 1.9. lejus: *Antonius, velut insidiis ejus petitus, scelestè insimulare Augustum cœpit, in quo turpiter deprehensa ejus vanitas est. C. Cæsar juve-
p.470. nis quotidianis Antonii petebatur insidiis.* Insidiis verò latus petiisse
in Suet. Antonii Augustum palam arguit Seneca, cui fidem non adhibet
p.132. Casaubonus, qui de his insidiis non tradi uniformia tradidit. Fi-
ad Cornific. 12. ctum hoc fuisse crimen ab Antonio in gratiam vulgi, *ut in pecuniam adolescentis impetum faceret*, scribit Cicero; sparsum eum ru-
fam. Epist. 23. p. morem fuisse de insidiis Antonio intentis, Augustum verò se pur-
214. gasse scribit Plutarchus in Antonio: Καῖσαρ δὲ ἀπελογεῖτο μὲν, οὐκ
ἐπείθε δέ. *Purganti se Cæsari non credidit Antonius.* Ipse etiam Au-
c.22.p. gustus sibi Antonium ἐπιβουλεύεσθαι, *insidias struere* publicè clama-
922. vit, teste Appiano, ubi etiam utitur in hanc rem verbo δολοφονεῖσθαι.
3. Bell.

Gravi

Gravi itaque Reip. tempore itum vario animorum æstu in diversas *civ. p.*
partes. Furiis majoribus agitatus Antonius Martemque totus spi- *552.*
rans currit ad Legiones Brundusium, & copias, quantas potest, ho-
stiliter contra Senatum, Cives & Patriam attrahit. Cajus contrà
Octavius, *adolescentulus, & ætate, & injuriâ ac nominis patrii ma-* *Preyssius*
jestate, quod ex adoptione & hæreditate Cæsaris habebat, gratiosus & *in Cicer.*
favorabilis, divini planè animi, ingenii, consilii magnitudine, cùm suâ *vit. p. 119.*
sponte eximiaque virtute, qua ætatem superabat, tum approbatione
auctoritatis Ciceronis, *quem* Parentis *ac* Tutoris *loco colebat, celer-*
rimè colonias Patris C. *Cæsaris adit, veteranos milites ad arma con-* Cicer.
vocat, in unum conducit, paucisque diebus præter omnium opinionem *Philipp. 5.*
privatus contra Consulem *firmissimum exercitum suo patrimonio* col. 874.
comparat, incitatos Antonii impetus retardat, & ipsum à cervicibus
civium ac pernicie Reip. avertit. Gallia, Decimo Bruto antea, decre-
ta à Senatu, Octavio laborante decernebatur gubernanda Antonio,
sed dum Antonius mutatus Cæsari obesset in Tribunatu, quem
plebs Cæsari destinabat, Cæsar mutatus itidem parabat sibi gratiam
Senatûs, Plebis, Militum, favente plurimùn Cicerone, pecuniâ &
comitate *Veteranos paternos* exciens è Calatia, Capua, Casilino,
quibus se junxêre Legiones duæ, *Martia & Quarta*, quæ ab An-
tonio desciscentes, signa ad Octivium transtulerant, *Torpebat*, ait
Vellejus, *oppressa dom natione Antonii civitas. Indignatio & dolor* 2.61.p.
omnibus, vis ad resistendum nulli aderat, cùm Gajus Gæsar, *decimum* 60.
nonum annum ingressus, mira ausus, *ac summa consecutus, privato*
consilio, majorem Senatu pro Repvblica animum habuit; primum-
que à Calatia *mox* à Casilino *Veteranos excivit paternos. Quorum*
exemplum secuti alii, brevi in formam justi coiere exercitus. Mox,
cùm Antonius occurrisset exercitui, quem ex transmarinis provi cits
Brundisium venire jusserat, Legio Martia & Quarta, *cognita & Se-*
natus voluntate, & tanti Iuvenis indole, sublatis signis ad Cæsarem se
contulere. Legiones *Martiam* & *Quartam*, Antonio deserto, pro
Augusto militasse tradunt etiam Cicero Philipp. 5, col. 875, 879 & 11,
col. 913; 10 Famil. Ep. 28. p. 279; Appianus 3. B. C. p. 556; *Veteranos*
milites convocavit, eosque *cupientes jam requiescere*, dicente Cice- *Philipp. 5.*
rone, *armavit*; quæ legio *Evocatorum* appellabatur, quod missi fa- *col. 878.*
cti à militiâ rursus ad eam convocarentur, teste *Dione*, qui verbum *lib. 45. p.*
Lati- *313.*

Latinum retinet, & Græcè Ἀνακλήτους posse dici scribit. Primum specimen altæ virtutis bellicæ *Mutinense prælium* fuit. Mutina, castris diversis nota, aliaque de eâ notata Leandro Alberti, nec cla-
Ital. p. 548, 549. Philip. 5. col. 874. rior colonia, quàm Mutina, Cicerone scribente: *Antonius circumsedit Mutinam, firmissimam & splendidissimam populi Rom. coloniam; oppugnat D. Brutum Imperatorem, Consulem designatum, Civem non sibi sed nobis & Reip natum.* Obsidetur Mutinæ Brutus, qui se *Senatûs*; Antonius *Plebis* voce & autoritate tuebatur. Deliberatur Romæ, quid agendum. Novi Consules, Hirtius & Pansa, referunt, & ultrocitroque habitâ deliberatione Senatus Antonium *Hostem* judicat, bellumque decernitur, ut id gererent Coss. Hirtius & Pansa, juvenisque unà *Octavius*, qui sibi de eá occasione, honesto titulo ulturus inimicum, gratulabatur. Major tunc erat ægritudo rerum Romanarum, quàm ut satiari inermis Medici operâ potuerit. Nemo mederi affectibus poterat impotentis Antonii, cujus desideria & cupiditates agnoverunt omnes, & à quo aversi erant
lib. 45. col. 312. ferè omnes. De hoc statu rerum Urbis incomposito ait Dio: Τὰ ἐν τῇ πόλει πάντα ἔν τε ἀκρασίᾳ πολλῇ ἦν καὶ συνεκέχυτο. εἰρήνην ἔτι, καὶ ἐπολέμουν ἤδη. τό τε τῆς ἐλευθερίας σχῆμα ἐφαντάζετο, καὶ τὰ τῆς δυναστείας ἔργα ἐγίγνετο. *Omnia Urbis intemperie atque confusione fluctuabant; in pace bellum agebatur, atque sub imagine libertatis dominatus gerebatur.* Hoc in rerum statu confuso decretum *Senatus* fecit, ut *Octavius* exercitui pro Prætore præesset contra Antonium, atque cum Hirtio & Pansa, Consulibus, Decimo Bruto opem ferret. Cæsar annum natus vicesimum fortiter bellum sibi demandatum administrat. Interiora consilia tunc fuere Ciceronis, quibus
p. 923. maximè gradum struxit *Octavio*, de quo Plutarchus in Antonio: Τῶν ἐν τῇ πόλει Κικέρων μέγιστον δυνάμενος, καὶ παροξύνων ἐπὶ τὸν Ἀντώνιον ἅπαντας ἀνθρώπους, τέλος ἔπεισε τὴν βουλὴν ἐκεῖνον μὲν πολέμιον ψηφίσασθαι, Καίσαρι δὲ ῥαβδουχίαν πέμψαι, καὶ στρατηγικὰ κόσμια, Πάνσαν δὲ καὶ Ἵρτιον ἀποστέλλειν, ἐξελοῦντας Ἀντώνιον τῆς Ἰταλίας. οὗτοι δὲ ἦσαν ὕπατοι τότε, καὶ συμβαλόντες Ἀντωνίῳ περὶ πόλιν Μυτίνην, Καίσαρος παρόντος καὶ συμμαχομένου, τοὺς μὲν πολεμίους ἐνίκων, αὐτοὶ δὲ ἀπέθανον. *In urbe* Cicero *plurimùm pollens omnesque homines concitans in Antonium, tandem Senatum perpulit, ut* hostem *illum judicaret, Cæsari lictores & insignia prætoria decerneret, Pansamque & Hirtium,*

tium, qui tunc Consules erant, mitteret ad pellendum Italiâ Antonium. Hi commisso ad Mutinam oppidum cum Antonio prælio, Cæsare præsente & socio, fuderunt Antonium, sed ipsi occubuêre. Inter Antonianos Hirtius viriliter pugnans confoditur. Pansa autem sagittâ percussus in ilia Bononiæ occubuit; inde sequuta sepultura publica Romæ multò cum honore & spontaneâ liberalitate Libitinariorum. *De* funeris publico honore ejusque impensis Valerius: 5,2.10.
M. Cornuto Prætore funus Hirtii & Pansæ *jussu Senatus locante, qui* p.200.
tunc Libitinam exercebant, cùm rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt, quia hi pro Republica dimicantes occiderant. Duo isti Consules, *Hirtius* & *Pansa*, interfecti, velut *orbam Rempublicā*, dicente Livio, reliquerant. Suetonius c.11.p.74. 27.35.7.
Hirtius in acie, Pansa *paulò post ex vulnere pereunt, rumorque increbuit, ambos operâ Augusti occisos, ut Antonio fugato, Republica Consulibus orbata, solus victores exercitus occuparet.* Addit Pansæ Medicum Glyconem suspectum fuisse, de veneno vulneri indito, sed defendit eum Brutus ad Ciceronem Epist. 5. col. 607 scribens: *Tibi,* Glaucona, *medicum Pansæ, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissimè commendo. Audimus eum venisse in suspicionem Torquato de morte Pansæ, custodirique ut parricidam. Nihil minus credendum est. Quis enim majorem calamitatem morte Pansæ accepit? Præterea est modestus homo & frugi, quem ne utilitas quidem videatur impulsura fuisse ad facinus. Rogo te, & quidem valde rogo, eripias eum ex custodia conservesque.* Itaque falsò increbuerat ope Medici Glyconis Pansam veneno, vulneri illato, sublatum.
Suetonii verba sunt: *Pansæ adeò suspecta mors fuit, ut Glyco Medicus* cap.11.
custoditus sit, quasi venenum vulneri indidisset. Vulgi sermones de p.74.
Augusto commemorans Tacitus ait: *Cæsis Hirtio & Pansa, sive ho-* 1. *Annal.*
stis illos, seu Pansam venenum vulneri infusum, *sui milites Hirtium,* 10.2.
& machinator doli Cæsar abstulerat. Utroque Consule ad Mutinam occiso rogat Ciceronem Brutus, velit prospicere, ne hostes Reipublicæ convalescant. *Pansa amisso,* ait, *quantum detrimenti Resp.* 11. *Epist.*
acceperit, non te præterit. Nunc auctoritate & prudentia tua prospicias *fam.* 9. *p.*
oportet, ne inimici nostri, Consulibus sublatis, sperent se convalescere. 298.
Ego, ne consistere possit in Italia Antonius, dabo operam. Hirtium non nominat, quod in Pansa prudentia rerum major fuisset. Datæ etiam

à Cicerone plures literæ, ad Brutum & Plancum, ut Remp. adjuvent, & fusum Antonium persequantur, quæ libro decimo & undecimo Familiarium exstant; & sanè satis consultè Cicero ad Plancum: *Mi Plance, incumbe, ut* belli extrema *perficias; in hoc erit summa & gratia & gloria.... Qui Antonium oppresserit, is hoc teterrimum bellum periculosissimumque confecerit. Vale.* Annus erat Urbis conditæ DCCX, quo contigit C. Pansæ & A. Hirtii Consulatus. Dies victoriæ XVIII Kal. Maj. nam, indicante Ovidio,

10. *Ep.* 19. *col.* 169.

4. *Fastor.* *v.* 625.

hac Mutinensia *Cæsar*
Grandine militia contudit arma sua.

Quid Mutinæ contigerit certiorem fecit literis Ciceronem ex castris Sergius Galba, quæ extant Epistol. famil. lib. 10. n. 30. col. 176, 177, & finiunt: *Partem majorem suarum copiarum Antonius amisit veteranarum. Aquilæ duæ* (Legionum signa) *signa sexaginta* (cohortium diversa) *sunt relata Antonii. Res bene gesta est. Res* optimè gesta erat per Octavium, & nonnihil de his gestis Cicero ad Brutum: *Bellum* ad Mutinam *gerebatur, nihil ut in Cæsare reprehenderes, nonnulla in Hirtio. Hujus belli fortuna, ut in secundis, fluxa; ut in adversis, bona. Erat victrix Respublica cæsis Antonii copiis, ipso expulso à Bruto. Deinde multa peccata, ut quodammodo victoria excideret è manibus. Perterritos, inermes, saucios non sunt nostri Duces persecuti, datumque* Lepido *tempus est, in quo levitatem ejus sæpe perspectam majoribus in malis experiremur. Sunt exercitus boni, sed rudes, Bruti & Planci.* Iterum Cicero ad Brutum Epist. 3. col. 605. *Consules duos, bonos quidem, sed duntaxat* bonos *amisimus.* Hirtius *quidem in ipsa victoria occidit, cùm paucis diebus magno prælio antè vicisset; nam* Pansa *fugerat, vulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Reliquias hostium* Brutus *persequitur, &* Cæsar. Hostes *autem omnes judicati, qui M. Antonii sectam secuti sunt.* Supplicatio deinde decreta dierum 50, ob Antonium superatum trium Imperatorum Pansæ, Hirtii & Cæsaris nomine, ut est in Philippicâ XIV, ubi etiam encomium egregium instituit eorum, qui ceciderant eo bello, fortissimorumque militum fata ob felicitatem sedis beatioris deprædicat, ajens: *Illi impii, quos cecidistis, ad inferos pœnas parricidii luent; Vos verò, qui extremum spiritum in victoriâ effudistis, piorum estis sedem & locum consecuti. Brevis autem*

Ep. 10. *col.* 609.

col. 944.

tem

tem vobis vita data est; at memoria bene reddita Vitæ, sempiterna. Actum præclarè vobiscum, fortissimi, dum vixistis; nunc verò etiam sanctissimi milites, quod vestra virtus, nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentiâ posterorum insepulta esse poterit, cum vobis immortale monumentum suis penè manibus Senatus populusque Romanus exstruxerit. Crudelissimum bellum vocat eodem sermone, *in quo,* inquit, *nisi tanta militum virtus exstitisset, parricidio M. Antonii nomen populi Romani occidisset.* Nihil antea valere videbatur Octavius Antonio. Prævaluit nunc in luctando, fugit victus, victoris ambit virtutem & favorem, vertit animum, non mutat. *A Cajo Cæsare,* ait Vellejus, *annum agente vicesimum fortissimè circa Mutinam administratum est, & Decimus Brutus obsidione liberatus; Antonius* turpi ac nudâ fugâ *coactus deserere Italiam.* Fugâ labitur, & quidem turpi, qui toties tantas contra adolescentem contentiones susceperat, eique teneram objecerat ætatem. Gratior nunc & optatior juvenis Octavius, quem *puerum* toties contemserat Antonius, nec iste solùm, sed & alii, quæ injuria exacerbabat animum Juvenis, teste Dione, qui inter θρυλλούμενα sive *vulgò recepta* recenset, Cæsarem quod vocassent μειράκιον καὶ παῖδα, *adolescentem ac puerum.* ἐκεῖνος δὲ ἐπί τε τοῖς ἄλλοις, καὶ ἐπ' αὐτῷ τούτῳ, ὅτι παῖς ἤκουε, δεινῶς ἀγανακτῶν, οὐκέτ' ἐς ἀναβολὰς ἐποιήσατο, ἀλλ' ἐπί τε τὰ ὅπλα καὶ ἐπὶ τὴν ἰσχὺν αὐτῶν ἐτράπετο. *Is cùm alia indignè ferēs, tū id indignissimè, quod PUER vocaretur, omni mora rejecta ad arma & vim animum adjecit.* Non ingratum erit fortè, hic subsistere, & proferre testimonia, unde queas cognoscere de vulgari vel ludibrio, vel cognomine. Duo exprobravit Antonius Augusto, *Ignobilitatem generis,* de quâ dictum antea satis, & *audaciam Puerilem,* eamq; inconsultam & egenam. De injuriâ hâc Dio: Τοῦ Ὀκταουΐου, ἅτε καὶ μειρακίου καὶ πραγμάτων ἀπείρου, τήν τε κληρονομίαν, ὡς καὶ χαλεπὴν καὶ δυσμεταχείριστον οὖσαν, ἀπωθουμένου, κατεφρόνησεν. *Octavium, tanquam adolescentem adhuc rerumque imperitum, hæreditatemque, uti aditu omnino difficilem, à se removentem, prorsus despexit.* Cùm Legati Romani Senatûs mitterentur ad Antonium, ille αὐτίκα τοῖς πρέσβεσιν ἐξωνείδισεν, ὡς οὔτ' ὀρθῶς οὔτ' ἴσως ὅς πρὸς τὸ μειράκιον (τὸν Καίσαρα λέγων) ἐχρήσαντο, *Legatis exprobrabat, quod secum respectu* pueri (Cæsarem notans) *neque rectè neque ex æquo egissent,* teste eodem Dione. Subinde vo-

col. 944.
2. 61. p. 61.
lib. 46. p. 362.
lib. 44. p. 304.
l. 46. p. 354.

catum ab *Antonio* Cæſarem μειράκιον προπετὲς, *temerarium & petulantem adoleſcentulum*, teſtis quoque Appianus. [3. *Civil.* p. 554.] Suaviter ſic ridebat ac contemnebat juvenem Octavium *Antonius*, quem ſenſit tandem ex Octavio *Octavianum* & *Auguſtum* factum. Tanta erat fiducia fortunæ propriæque ſapientiæ, ut feroculum puerum præ ſe Sene fungum æſtimaret; ſed dum fugit fugatus à puero, pænituit dicterii, videns ſuo damno, quanta egerit in juvene heroica indoles. Urbis honores quærit juvenis, juvenis tanquam *puer* contemnitur & ridetur. *Appellatione pueri* M. Brutus, M. *Antonius*, & identidem alii Octavium rident. Contrà Virgilius eundem laudans [*Georg.* 1. *v.* 500.]

Hunc, ait, *everſo juvenem ſuccurrere ſeclo*
Ne prohibete.

Pervicax ſenex juvenem contemnit, pari fere modo, quo Horatius de Senum moribus ſcribit ad *Auguſtum*: [2. *Epiſt.* 1. *v.* 83.]

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicêre, Senes *perdenda fateri.*

Anni juveniles non modò dignitati non obſtiterant ac gloriæ, verùm etiam magno adjumento fuerant, Cicerone paſſim commendante; quem eundem ſi legere volumus & audire gratiâ & autoritate valentem Senem & Senatorem, cùm de Senectutis bono diſſerit, ille dicet [*de Senect.* col. 544.] *maximas Reſp. per adoleſcentulos labefactatas, à Senibus ſuſtentatas & reſtitutas.* Senum *conſilia*, ab uſu rerum commendatiſſima, laudari ſolent, Juvenum verò *facta.* Senibus itaque, ab experientiâ variâ Romano in Senatu inſtructis, non tutum videbatur juvenem *Auguſtum* tantis faſtigiis admovere. Difficilior ſemper habita regnorum diſpenſandi ratio, quàm ut à juvenibus regi commodè queat. Sanè Solon, ſapientiſſimus quondam Legislator habitus, lege ſanxit, [*Stobæus ſerm.* 114. p. 587.] μήτε ἄρχειν τὸν σφόδρα νέον, μήτε ξυμβουλεύειν, εἰ καὶ ἄριστα δοκοίη γνώμης ἔχειν, *ne quis admodum juvenis ad Magiſtratum aut Conſultationes admitteretur, quamvis prudentiſſimus eſſet viſus.* Quò magis honorificum juveni fuit *Auguſto*, contra priſcum morem legeſque annarias, Imperium aliaque officia ſumma dari, quaſi in uno juvene concluſa eſſet omnibus numeris perfecta virtus. Nil eo juvene felicius, qui tantum venerationis in tam parvulâ

vulâ ætate possedit. Cunabula hæc fælicitatis tam invisa erant *Antonio* aliisque iniquioribus, ut obtrectando dicerent *puerum*, qui certè Romanæ gentis tunc gloriam reportabat, atque ad summum gloriæ cumulum perveniebat, etsi nondum videretur honori tanto maturus esse. Legimus id nominis de *Augusto* sæpiuscule apud Ciceronem, uti Ep st. ad *Atticum* 16.10.col.556. *Ab Octaviano quotidie literæ, ut negotium susciperem. Is egit* sanè *strenuè, & agit. Romam veniet cum manu magna; sed est planè* puer. Puero *municipia mirè favent. Aliâ* ad Atticum 14.12.col.523. *Quid censes, cum Romam* puer *venerit* ? Epistolâ ad Brutum 3. col. 605: *Cæsaris* pueri *mirifica indoles virtutis*; & 15 col. 613; *Omne præsidium in Puero. Alibi: In præsentia bellè* iste puer *retundit Antonium*. Doctâ Epistolâ & gravi Brutus ad Ciceronem Epist. 16. col. 615. *Ista imbecillitas & desperatio tua* Puerum istum *extulit, ut tu judicares precibus esse impetrandam salutem talibus viris; misericordiaque unius*, vix etiamnum Viri, *tutos fore nos, haud ulla alia re*. Cicero ad Trebonium: *Egregius* Puer *Cæsar, de quo spero equidem reliqua*. Idem ad Brutum: *Adolescentem, vel* puerum *potius, Cæsarem judices temere fecisse, qui tantam causam publicam privato consilio suscepit*. Idem ad Cornificium 12. Fam. 24. p. 346. *Ructantem & nauseantem Antonium conject in Cæsaris Octaviani plagas*, puer *enim* egregius *præsidium sibi primum, & nobis, deinde summæ rei comparavit, qui nisi fuisset, Antonii reditus à Brundisio pestis patriæ fuisset*. Etiam *Pueri* titulo celebratus Virgilio, uti in Eclogâ 5. v. 49.

10. *Fam.* 28. *p.* 279.
11. *Fam.* 7 *p.* 297.

Fortunate Puer; *Tu nunc eris alter ab illo.*

Item in Culice. v. 26. & 36.

Sancte Puer, *tibi namque canit non pagina bellum,*
Et tu sancte puer *venerabilis, & Tibi certet*
Gloria perpetuum lucis mansura per ævum.

Sic Ovidius 2. de Ponto Eleg. 8. v. 25.

Parce Puer, *secli decus admirabile nostri,*
Terrarum Dominum quem sua cura fecit.

Decreto autem Senatûs cantum fuisse dicit Servius, ne quis Octavium vocaret *Puerum*, ad illud Virgilii : *Hic illum vidi Iuvenem*, scribens : *Cæsarem dicit Octavianum Augustum. Decreverat enim Senatus, ne quis eum* Puerum *diceret, ne majestas tanti imperii mi-* *in Ecl.* 1. 43. *p.* 6.

nueretur. Accipiendum verò in commendationem *Pueri* nomen,
2,61.p. dum Puer, quem novendecim tunc annorum fuisse Vellejus me-
60. morat, Virum se præstitit, id quod ab ipso Cicerone cognoscen-
Philipp. dum est, qui Antonium incessens *puerum* appellat ejusmodi,
13.p.931. quem non modò *Virum*, sed etiam *fortissimum Virum* senserint; sciteque ait: *Est istuc quidem nomen ætatis, sed ab eo minimè usurpandum, qui suam amentiam* (qualis erat Antonii) Puero huic *præbet ad gloriam*. Gloriosum erat, certô cum indolis experimento, dignitatem summam summâ cum virtute suscipere, eratque æquum, eum honori tempestivum censere, qui jam virtuti maturus erat; ni-
Paneg. mirum, quod ait eleganter Nazarius, *cursus ætatis non expectandus*
Constant. *erat in festinatione Virtutis*. Erant in heroica indole omnia præma-
p.167. tura, honorque prævertebat ætatem. Ætatis anno XVI ante legitimum tempus *civili togâ sumtâ militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est, quamquam expers belli propter ætatem*, scri-
c.8.p.71. bente Suetonio. Militiæ minorem XVII annis ascribi apud Roma-
10.N.A. nos in usu non fuit, Gellio teste. Quærenti de Pontificatu ejus, de-
28.p.382. ficiebant itidem anni, nam *C. Cæsar Pontificatûs Sacerdotio* Puerum
2,59.p. *honoravit*, dicente Vellejo. Summatim dicit Suetonius: *Magistra-*
59. *tus atque honores, & ante tempus, & quosdam novi generis*, (qualis
c.26.p. erat Triumviratus) *perpetuosque, cepit. Consulatum* XX *ætatis anno*
87. *invasit*. Ingenium cæleste suis velocius annis surgit in Augusto, ætatisque defectum singularium donorum supplebat præsentia, inter quæ non ultimum obtinebat locum, peculiaris rerum gerendarum dexteritas, Marte & Consilio, Arte & Judicio, tam togatis quàm sagatis rebus. Exempla si velis, ubi Senum temeritate Respublicæ vel quassatæ vel eversæ fuerunt, non longè esset eundum ab ætate & seculo Augusti in anteriora & tetriora tempora. Plus præstat juvenis Augustus, vix admissus ad gubernacula, quàm plures Antonii & Pompeji, Cicerones & Crassi, qui diu ad remos sederant. Senioribus puerum præfecit Augustum Deus, ut in puero viderent Romani, Senum consilia quàm sæpe fieri soleant irrita. Ipse se hortatur puer, maturè videns in pueritiâ, quæ contemnebatur, quis esset rectus ad gloriam cursus. Macte novâ virtute puer; macte hoc animo in Patrem Patriamque; macte ista voluntate & isto sensu! In majorem fortunam Pueri cessit Senis invidia; indigna

enim

enim patiendo, cùm justa causa eluctatur, major fit, cui malè fuerat. Puero Octavio , cùm malè esset ob amentiam Antonii Senis, major obvenit gloria ; quodque bonæ mentis ingenium in Puero videns Cicero faustis ominibus majora precabatur , adeò ut quasi stupidus hæserit in virtutib9 Juvenis laudandis. Non ignoravit, quid Cicero senserit & dixerit, Tertullianus, cujus locus elegans de Animâ: *Reformatorem Imperii, & puerulum adhuc , & privatum* c.27.p.
loci, & Iulium Octavium tantum, & sibi ignotum, M. Tullius jam 564.
& Augustum, *&* civilium turbinum sepultorem , *de somnio norat.* Nondum tamen plenè norat Puerum Cicero, in quo prævidit ante, licet puero, celsiorẽ animum, quàm qui ferè regi posset ad præsentem statum ferendum. Dubitabat inde de ejus constantiâ, juvenilemque impetum suspectabat, quasi incoercibilem. Inde ad Brutum scribit: *Romam perveni , nulloque præsidio quatefeci Anto-* Epist. 10.
nium; contraque ejus arma nefanda, præsidia, quæ allata sunt, Cæsa- col. 610.
ris consilio & auctoritate *firmavi; qui si steterit idem , mihique paruerit, satis videmur habituri præsidii. Sin autem impiorum consilia plus valuerint, quàm nostra; aut* imbecillitas ætatis *non potuerit gravitatem rerum sustinere, spes omnis est in TE.* Deinde : *Hoc* adolescentis præsidium *equidem adhuc firmum esse confido , sed ita multi labefactant, ut, ne moveatur, interdum extimescam.* Idem ad Atti- 15. Ep. 12.
cum: *Octaviano , ut perspexi, satis ingenii, satis animi ; videbaturque* col. 540.
erga nostros ἥρωας ita fore, ut nos vellet, animatus. Sed quid ætati *credendum sit, quid* nomini, *quid* hereditati, *quid κατηχήσεως, magni consilii est.* Aliâ ad Atticum, 16. 9. col. 555. *Octavianus urget; Ego σκέπτομαι, i. non confido ætati.* Ad Brutum Ep. 3. col. 605. *Utinam tam facile eum florentem , & honoribus & gratiâ, regere ac tenere possimus, quàm facilè adhuc tenuimus. Est omninò illud difficilius ; sed tamen non diffidimus; persuasum est enim adolescenti, & maximè per me, ejus opera nos esse salvos.* Idem ad Atticum 14. 12. col. 523. *In isto Iuvene animi satis, auctoritatis parum est.* Quàm fuerit multùm, ipse mox Cicero sensit, qui alia secum versabat consilia Senex, quàm iste Juvenis, cui & animi fuerat satis , & autoritatis plus satis in ætate, non sum aliâs capace autoritatis. Commodè vero in hanc felicem pueritiam, quod olim scribebat Philosophus, transferri posse 1. Eth.
arbitramur , alios esse *ætate,* alios *moribus & judicio Iuvenes* , νέους p. 21.

τὴν

τὴν ἡλικίαν, ἢ τὸ ἦθος νεαρὸς. Ætate quidem nondum provectus erat Augustus, unde muneribus publicis abstinendum fuisset, sed qui annis minor erat, judicio erat major, eruditione, judicii dexteritate, aliisque donis instructus ultra ætatem. Malè audiunt plerique juvenes ob calorem & præceps consilium; optimè audivit Augustus ob circumspectam prudentiam, id quod cætera historia, nobis proposita, dabit variis exemplis, unde Augustus poterit di-

Antig. v. 743. cere, quod Hæmon Sophoclis: Εἰ δ' ἐγὼ νέος, οὐ τὸν χρόνον χρὴ μᾶλλον ἢ τὰ ἔργα σκοπεῖν. *Si juvenis sum, non ætatem sed rem considerare decet.* De fælicitate juvenilis suæ ætatis ipsum audiamus Augustum, cum enim aliquando Romæ juvenes nobiles tumultuarentur, nec alios præsentes Senatores magni facerent, tantùm in hæc verba proloquente Augusto: Ἀκούσατε νέοι γέροντος, οὗ νέου γέροντες ἤκουον. *Audite* juvenes Senem, *quem* JUVENEM Senes *audivêre*;

Plut. Apophth. p.20.

Conticuere omnes intentique ora tenebant.

Juventus à regno arcet, si destituitur judicio, non si judicio suo uti plenè prohibetur. Juventutem caussantur Senes, regnum ipsi postulantes, nec laborem exantlantes. Galba Senex erat, sed ineptus regno. Augustum juvenem, cui soli regnum relinquitur fato, pueritia remoratur, sed levius illud obstaculum existimat Virtus heroica, quæ se Magistris opponit. Imberbis juvenis laborem liberali industriâ superat, senes inertiam fateri coguntur. Puer ea facit, quæ Senes admirantur. Datur Puer regno, ingenio & diligentiâ senibus superior; Virtute & ingenio illustrior, quàm genere & opibus. Hannibal & Scipio, κομιδῇ νέοι, *admodum juvenes*, magna egerunt, & ultra ætatem, Appian. Hispan. bell. p.259, 264. Noster Octavius majora edidit, & ultra itidem ætatem, sed quæ inde ad eum gratia? Cæsar videt non dignitatem à Senatu sibi offerri, sed se deprimi, Brutianas Cassianasque adeoque Pompejanas partes augeri provehique Senatus consultis; abstrusit interim suum animum offensum; dissimulavit iram & consilia sustinuit Senatus, ipse perplexus consilii, de quo differit Appianus 3. Bell. Civil. p.567, 568, 574, 575. Dio lib. 46. p.361, 362. Edictum autem fuerat nimis intempestivo Senatusconsulto, πάντας ὑπακούειν Κασσίῳ τε καὶ Βρούτῳ, *ut Cassii Brutiq; imperata facerent omnes*; indeq; offensus cogitavit jam novis consiliis & auspiciis Antonium victum sibi conciliare, & cum eo redire

in

in gratiam, de quo legendus Appianus p.576,577,578,579. *Omnia ante quàm fugaretur Antonius*, scribit Vellejus, *honorificè à Senatu* 2.72.p.
in Cæsarem *exercitumque ejus decreta sunt, maximè auctore Cicero-* 61.
ne; sed, ut recessit metus, erupit voluntas, *protinusque Pompejanis partibus rediit animus. Bruto Cassioque provinciæ, quas jam ipsi sine ullo Senatusconsulto occupaverant, decreti; laudati, quicumque his se exercitus tradidissent; omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio.* Cur inde non indignaretur Octavius ob Reipublicæ corruptæ varium genium? Magna indignatio est apud Magnates, quando vident alios felices non ex suâ sed alienâ fælicitate, & recipere honores ac præmia illos, qui minimum laborárunt, præteriri verò, qui in mediis laboribus ac periculis vitam venalem pro Patriâ habuerunt. Pugnaverat pro salute Urbis eâ fortitudine fortunâque Octavius, ut rei Romanæ conservator sospitatorque à Cicerone & aliis commendaretur, ac ad maxima quæque se natum esse hoc ipso prælio probavit contra Antonium, adolescentiæ suæ contemtorem, in quo certamine non minus cautissimæ virtutis quàm animi imperterriti dederat documentum. Expertus fuerat Senatus Romanus fidelitatem Octavii, quâ se populumque liberarat à persecutione Antonii, à trepidatione & desperatione, in qua fuerant; sed vix liberati irritaverunt Octavium, dum ejus fidei immemores Brutum & Cassium aliosque præferrent in honoribus, à quibus adjutorium non impetraverant. Quò periculosior erat status rerum sub hæc dubia initia Augusti, ex dolis, insidiis, odiis, eò diligentior erat ea sophistica pars Reipublicæ excutienda. Procœmia hæc erant Augusti inter scopulos & brevia, inter Syrtes & Charybdim. Deserebat Senatus Octavium, ne nomen ejus magni fieret, cùm viderent populum illi favere. Non periit nomen ejus, sed perierunt, qui eum deserebant. Cæpit multò magis multoque numerosior seges gloriæ exurgere. Despectum ab Antonio Octavium satis scripsimus; dum verò Antonio à se devicto Octavius despicitur, sentitque nullam sui laboris rationem haberi, opprobria Antonii, quæ passus fuerat, nil æstimat, dum videt se non æstimari ab iis, quibus felicitatem compararat. Attende, quid agatur. Hostes infensissimi fiunt subitò amici, & vapulat egregiè Senatus. Hoc ipso gravius vapulant, quia Octavius recipit Antonium, cujus pla-

gas nunc sentiunt ii, quibus alias optimè fuerat. Plangebat Roma, plangebat Senatus, plagæ maximæ erant, in tribulatione variâ, quæ non irrogatæ fuissent, si Octavius non vapulasset. Hoc ipso nunc gravius cæduntur, quia Octavius & Antonius consentiunt. Mira rerum conversio facta est post hanc societatem, quæ assumto adhuc tertio Lepido *Triumviralis* dicta fuit; de quâ nunc agemus.

8. Societatem unà cum M. Antonio & M. Lepido *Triumviratûs nomine* init, novique Triumviri partito imperio de Nobilium aliorumque Virorum illustrium capitibus ac bonis proscriptionem ferunt acerbam, quos inter Cicero Orator misero abripitur letho.

IMperia nova non sine cladibus multoque sanguine constitui omnium ætatum historiæ testantur. Mutationes Reip. & Imperiorum plerunque solent cum cruore incipi & finiri, vis enim illa cædibus gaudet. Usurpari cædes & proscriptiones initio Principa-
T.3.p. tûs constituendi affirmat Phalaris apud Lucianum. Universaliter
225. fieri in majoribus mutationibus imperiorum, & motibus violentis,
2.Ἑλλην. cædes & mortes, his innuit verbis Xenophon: Πᾶσαι μεταβολαὶ τῶν
p.273. πολιτειῶν θανατηφόροι. *Omnes mutationes Rerumpublicarum sunt mortiferæ.* **Es kostet Köpf.** Sceptra mutanda luctus inferunt, nemo securus sui. Bonum immanis pretii Regnum est, clade partum.

Stephonii *Imperia pretio quolibet constant bene;*
Crispus *Auro æstimantur cætera, auro veneunt,*
Act.3.sc. *Romana ferro. Ad regna per clades eas;*
4.v.41. *Manu gerenda sceptra rapiantur manu.*

Multum periculorum & miseriarum existebat in mutatione statûs Reipublicæ Romanæ. Ubi enim magis auditæ cædes, ubi majores vitæ confusiones, quàm in ejusmodi statu perturbato? Quantum sanguinis effusum cum Julio Cæsare, quantum post Julium, ut Mo-

narchiæ

narchia vel fieret, vel extingueretur. Ipse ille sanguis, è quo libertatem fluituram Cassius & Brutus existimabant, Libertatem extinxit. Magnâ quidem contentione id agebant Romani Senatores, maximè Cicero, ut post Julium cæsum pristinæ libertati restitueretur Roma, & ad Optimates sive Senatum rediret summa rerum, re sed inani. Id aperit Cicero Trebonio, scribens: *Cùm Senatum a.d.* XIII *Kal. Ian. Tribuni plebis vocavissent, totam Remp. sum complexus, egique acerrime; Senatumque jam languentem & defessum ad pristinam virtutem consuetudinemque revocavi, magis animi quàm ingenii viribus. Hic dies meaque contentio atque actio spem primùm populo Rom. attulit libertatis recuperandæ. Nec verò ipse postea tempus ullum intermisi de Rep. non cogitandi solùm, sed etiam agendi. Habemus fortem Senatum, Consulareis partim timidos, partim malè sentienteis.* Optima quæque sperabat hâc in re Cicero de Octavio, notante etiam egregiis verbis pio Augustino: *Iulii Cæsaris potentiam, multùm moribus dispar, vitiis omnibus inquinatus atque corruptus, affectare videbatur* Antonius, *cui vehementer pro eâdem illâ velut* patriæ libertate *Cicero resistebat. Tunc emerserat mirabilis indolis adolescens ille alius Cæsar, illius Caji Cæsaris filius adoptivus, qui postea appellatus est* Augustus. *Huic adolescenti Cæsari, ut ejus potentia contra Antonium nutriretur,* Cicero *favebat, sperans eum depulsâ & oppressâ Antonii dominatione* instauraturum Reipublicæ libertatem, *usque adeò cæcus atque improvidus futurorum, ut ille ipse juvenis, cujus dignitatem ac potestatem fovebat, & eundem Ciceronem occidendum Antonio quâdam quasi concordiæ pactione permitteret, & ipsam* libertatem Reipublicæ, *pro qua multum ille clamarat, ditioni propriæ subjugaret.* Eo fine toties Octavium ad Antonium reprimendum Senatui commendaverat. Sperabat Orator Octavium Senatui futurum amiciorem, quàm Antonio, sed spes fallebat; nam per amicitiæ fœdus bellum mox varium sumitur ab Utroque ad ulciscendam necem Julii Cæsaris, quam Cicero approbârat, non nesciente, sed simulante Octavio. Longè itaque aliter quàm Cicero Ciceronisque similes sentiebat in illâ confusione statûs Octavius, cujus judicii sui testimonium publicè edidit, nam, *ut cognovit* Antonium *post fugam à M. Lepido receptum, cæterosque Duces & exercitus consentire pro Partibus* (Antonii Lepidiq;, qui jam coaluerant,

10. Ep. fam. 28. p. 279.

3. de Civ. D. 30. p. 210.

Suetou. c. 12. p. 74.

luerant, & quorum auctoritatem Plancus, Silius aliique sequerentur) causam Optimatium *sine cunctatione deseruit , ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus, quasi alii se* Puerum, *alii* ornandum tollendumque *jactassent*; ubi Beroaldus
fol.57. commentatus est: *Augustus descivit à Cicerone, causamque Senatorum, quæ ad libertatem asserendam spectabat, deserens, Antonio reconciliatus est.* Eâ reconciliatione magnum damnum factum est in eâ libertate, quam Cicero & cæteri Senatores recuperare studebant; eratque Cicero inprimis variabilis, modò Octavium extollens, modò deprimens, ejusque illud fuerat dicterium de *ornando*
2,62,p. 62. *tollendoque* Augusto, de quo jocò Vellejus: *Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompejanarum partium Cæsarem* laudandum *&* tollendum *censebat, cùm aliud diceret, aliud intelligendum vellet.* Intellectus autem verborum remotâ ambiguitate ipsi Octavio constitit, haberique potest ex Bruti Epistolâ ad Ciceronem.
11.famil. 20.p.193. *Labeo Segulius narrat mihi apud Cæsarem se fuisse, multumque sermonem de te habitum fuisse; ipsum Cæsarem nihil sanè de te questum, nisi quod diceret, te dixisse,* laudandum adolescentem, ornandum, tollendum, *se non esse commissurum, ut* TOLLI (i.e. occidi) *possit.* Cicero verò ipse sibi obstitit, *è medio sublatus*, Antonio id urgente. Senatu post fugatum Antonium sese mutante mutabat itidem se Octavius, nova præmuniendæ potentiæ consilia iniit, cum Antonio & Lepido clam consilia iniit, Lepido itidem ob sociata cum Antonio arma *Hoste* judicato, Octavio clanculum agente & Consulatum extorquente. Velleji id verbis placeat scire. *Lepidus à Se-*
2.65.p. 63. *natu* Hostis *judicatus est, ut antè fuerat Antonius. Tum inter eum, Cæsaremque & Antonium, commercia Epistolarum, &* conditionum *jactamentio, cùm Antonius & subinde Cæsarem admoneret, quàm inimicæ ipsi Pompejanæ partes forent; & in quod jam emersissent fastigium, & quanto* Ciceronis *studio Brutus Cassiusque attollerentur; denunciaretque, se cum Bruto Cassioque, qui jam* XVII *Legionum potentes erant, juncturum vires suas, si Cæsar ejus aspernaretur concordiam; diceretque plus Cæsarem* Patris, *quàm se Amici ultioni debere.* Dehortabatur Lepidum Cicero à pace cum Antonio ineunda literis, quæ extant lib.10. Epist.fam.27.col.175, ubi Antonium vocat *perditum hominem*, cum quo ob impotentissimum domina-

tum

tum nulla pacificatio sine detrimento libertatis & dignitatis conciliari queat. Idem Cicero de armatis jam & reconciliatis Duumviris ad Brutum: *Instrumentum regni delatum ad* Lepidum *&* *Antonium, quorum* alter *inconstantior*, alter *impurior, uterque pacem metuens, inimicus otio. His ardentibus perturbandæ Reip. cupiditate, quod opponi posset præsidium, non habebamus.* Postea: *Tetrum spectaculum, oppressa ab impiis civitas, opitulandi potestate præcisa.* Regnator ingens Antonius poscit amicè Lepidi Filium ad nuptias ineundas cum Filiâ suâ, eo conjugio sibi conciliaturus Lepidum, cujus tunc erat in magnis divitiis illustrior potestas. Hoc ergo tunc fuit Antonii studium, ut iis nuptiis fieret arctior conventio, divitiæ cumularentur, atque potestas accresceret. Sunt hæc studia vulgaria, in conjugiis quærere vincula societatum; sociare sub quâdam specie recti malè convenientes personas; etiam ex grege plebejorum, modò magni inde proventus sperari queant, ad avaritiam & ambitionem explendam. Eo voto paravit Antonius per nuptias propinquitatem Octavii, *tum enim,* dicente Vellejo, *inita potentiæ societas, & hortantibus orantibusque exercitibus inter Antonium etiam & Cæsarem facta affinitas, cùm esset privigna Antonii desponsa Cæsari.* Quas etiam nuptias narrat Dio libri quadragesimi sexti extremo, cum politicâ ἐπικείᾳ. Concitatioris ingenii Antonium & Lepidum scimus, quos dum Senatus & Cicero studet reprimere, mirâ celeritate multâque cũ perturbatione & rerum & hominum, Cicerone oppresso, immane novi belli civilis resurgit incendium, cujus ardor cæde succrescit ferâ. Scopulosa erant omnia, & tumentibus fluctuum motibus maximæ difficultatis erat, ab una parte Consularem statum ea forma, qua ante Julium fuerat, rursus dedicare; ab altera novum statum sine naufragio inducere. In utroque labor ingens erat, & magnitudo oneris impositi ita cervices premebat Senatorum, ut ante sub fascibus suis ruerent, quàm levarentur. Occultè hactenus egerat Octavius, & clausis quasi oculis nihil respiciebat, omnia verò tacitus lustrabat. Mutinensi prælio perspicacior factus, secum statuit aliam agendi ansam arripere, sepositoque Cicerone & Senatu cum Antonio, & Lepido, qui arctabantur, *Triumviratum* inire placuit. Idoneum dispellendis civilibus bellis, quæ videbatur excitare Antonius, censuerat Octavium esse Cice-

Epist. 5. col. 613.

2.6.p. 63.

pag. 372.

ro, annuebant ferè omnes, brevi fore ſperabant, ut Antonii viribus attritis Reſpublica, quæ inter ruinas gemebat, reſtitueretur. Non ſic extinctum diſſidium, nec incendium reſtinctum, nec Reſpublica reſtaurata. In re deplorata Antonius mutato animo alia captat conſilia, ſibi conciliat Octavium, ſimulat pacem, mucronem acuit contra Urbem, procudit dolos, Ciceronem petit, proſcriptionem urget. Diverſum in uſum inter diverſas animorum diverſorum ſententias arma junguntur, & rerum publicarum tranquillitas obtentui habetur ſub uno clypeo. Suum cuique caput in tricipiti capite; ſuum cuique commodum ex infortunio communi ſpectatur. Nondum in confeſſo, quid quiſque ſpectaret, cur arma armis ſociata? Obſtringunt ſe in cædes non hoſtium externorum, ſed domeſticorum, ſtringitur gladius in populares, vicinos, amicos, agnatos, fratres, & trophæum erigitur. Coeunt armis præter opinionem omnium Triumviri, ſe conjungunt menſe Decembri ejuſdem anni, quo interfectus fuerat Julius, jungunt fædus, & infatigabili labore conſilia nova ſuſtentant. Stupet Urbs, languent conſilia Senatorum, inter lamenta ac gemitus ſentiunt, frigentibus jam membris, palpitare cor in medio Reipublicæ pectore, & deficere ſpiritum in mortem. Quæ tanti luctus ſocietas fuerit, qualeve Tricipitium, ut intelligamus, ſub verbis nunc hiſtoricorum loquemur. *Anno* erat Urbis DCCX, quo M. Æmilius Lepidus, M. *An*tonius, & Julius Cæſar Octavianus TRIUMVIRI creantur, quando Antonius ac Lepidus, relictis in Galliâ Legatis, in Italiam ad Cæſarem properant, inque concordiam cum Octavio redeuntes Triumviratum juratò ſtabiliunt, deſcribente Dione, lib. 46. p. 370, 371; qui συνωμοσίαν τῶν τριῶν ἀνδρῶν, *Conjurationem triumvirorum*, vocat lib. 47. p 394. Magno auſu ſocietas illa triumviralis in modicâ inſulâ Labinii fluvii, haud procul Mutinâ, colloquio per integrum biduum habito, concludebatur; inde ſub ſpecioſo ſchemate tollendarum civilium diſſenſionum effreni impetu itum fuit in ſanguinem & bona civium, proſcriptis Senatoribus trecentis & Equitibus *Romanis* 2000. De loco ubi convenerunt, Florus tradit apud confluentes inter Peruſiam & Bononiam junxiſſe manus, & exercitus conſalutaſſe. Congreſſos æquo militum numero in exiguâ amnis inſulâ prope Bononiam loco ab arbitris remoto

Appian. pag. 592.
4. 6. 3. *p.* 361.

ait

ait Dio. In peninſulam, quam circa Mutinenſium Civitatem Lavi- *lib.46.p.*
nius efficit amnis, conveniſſe retulit Appianus. Locorum ſitu con- 371.
ſignato Blondum refellit Leander *A*lberti, locumque, quem *For-* *p.589.*
cellos hodie dicant, notat, ſcribens: *Inter Labinium & Ghirondam*
foſſam, ubi concurſu peninſulæ cujusdam triquetræ formam efficiunt, *Ital. Reg.*
locum nunc Forcellos *accolæ vocant à viâ mille fere paſſibus, Octa-* *14.p.521.*
vius Aug., M. Antonius, & M. Lepidus fœdere de Triumviratu
convenêre. Summa non timent aggredi, & facti cauſas bilingues ha-
bent. Vera velatur cauſa, & aſtus tegitur aſtu, inter diverſos ani-
morum æſtus. Cauſas hujus ſocietatis oligarchicæ ita exponit Flo-
rus, ut potioris cauſæ vel dememinerit, vel tanquam nimis notæ
non meminerit. *Lepidum,* inquit, divitiarum cupido, *quarum ſpes*
ex turbatione Reipublicæ; Antonium ultiones *de his, qui ſe hoſtem* *4,6.2.p.*
judicaſſent; Cæſarem inultus Pater *& Manibus ejus graves Caſſius &* *361.*
Brutus agitabant. Ita diverſorum ingeniorum Duces, cauſis diver-
ſis, vel vindictæ ſtudio, vel divitiarum cupiditate, bellum omnes
cupiebant; ſed trium Ducum horum una communis cauſa præteriri
non debet, *Cupido* ſc. *dominandi*, quamvis inter tria *D*ucum diver-
ſiſſima capita; nam dum Auguſtus, qui hactenus Optimatum par-
tes tenuerat, ſentit ſe imparem ultioni faciendæ, fortunam ſuam per
contraria tentat, nam, quod ex Suetonio didicimus, cognitâ *Anto-*
nii & M. Lepidi ſocietate, cæterorumque Ducum conſenſu cau- *c.12.p.*
ſam Optimatium ſine cunctatione deſeruit. Votum unum erat, *74.*
animum licet tegeret quiſque, cupido Principatus in Republicâ, *c.10.p.*
τὸ μὲν σύμπαν ἐπί τε τῇ δυναστείᾳ καὶ κατὰ τῶν ἐχθρῶν συνωμοσίαν, ait *73.*
Dio, i.e. *In univerſum de dominatione paranda & inimicis ulciſcen-*
dis inita conſpiratio eſt. Illud quidem dominationis arcanum pro ſe *l.46.p.*
quiſque celabat, dum (verba Dn. Boecleri ſunt in Florum) *quisque* *371.*
alterius ope ſibi dominatum adquirere, eoque accepto, adjutores Colle-
gaſque opprimere ſtatuit; ſive, ut clarius dicam, oligarchiam interim
moliebantur, & ex ejus eventu ſibi quisque Principatum ſperabant.
Imago fœderis vel potius umbra erat, nominatque verè Dio *d. l.*
προσποιητὴν ὁμολογίαν, *fictam & ſimulatam concordiam*, ut, licet
ſummo ſe invicem proſequerentur odio, tamen mutuo metu re-
tenti, & alios interim inimicos mutuâ ope ulturi ſuæ quiſque ſpei
& tempori ſerviret. Conficienda erat res ſub ſpecioſo prætextu
Rei-

Reipublicæ iterum conſtituendæ, & à ſordibus vindicandæ, πρός
τε διοίκησιν καὶ πρὸς κατάστασιν τῶν πραγμάτων, *ad res ordinandas &*
Dio l. 46. *reſtituendas*, idque operâ horum trium Reipublicæ Ἐπιμελητῶν τε
p. 371. καὶ Διορθωτῶν, *Curatorum atque Correctorum.* Hæc indicia præ ſe
ferebant boni in Rempublicam animi ἐς διόρθωσιν τῶν ἐμφυλίων,
4. p. 570. *ad emendandas civiles diſcordias*; uti loquitur Appianus. Cara admodum verba, ſed non cara obſequia, licet declararent ſe titulo
Harmoſtarum πρὸς τὸ ἁρμόσαι καὶ διορθῶσαι τὰ κοινὰ, *ad conſtituen-*
4. p. 593. *da & corrigenda ea, quæ ad publicum ſtatum pertinent*, apud Appianum; utque occaſionem auferrent ſiniſtrè cogitandi Reformatores imperii, aſſerebant hoc officium triumvirale non niſi futurum *quinquennale*, quo finito atque dimiſſo ad dignationem veterem reditura ſit Reſpublica. Benignitatis hæc erant nudi tituli, quibus ſe commendare voluerunt. Alius verò erat Scopus præſtitutus, de
lib. 46. p. quo ingenuè loquitur Dio: Ἡ μὲν γὰρ ὑπόθεσις τοῦ πολέμου μία πᾶσι
357. σφίσιν ἦν, τόν τε δῆμον καταλυθῆναι, καὶ δυναστείαν τινὰ γενέσθαι. *Erat*
iſtis omnibus unus *belli hic* ſcopus, *ut populi poteſtate deleta* Regnum *ſtabilirent.* De imperio luditur, & alea in dubio verſatur, diverſis idem ſentientibus, rem ludo diverſo gerentibus. Res geritur intus magna, & per fraudes gradus fit fraudis. Pectus nulli patet, & frontem ſimulatam alius erga alium induit. Si contemplamur vultum aut mentem potius Triumvirorum illorum, inimicitias in corde premebant, & alter alterius ſucceſſus reformidabat, licet arctiorem inire cæperint ſocietatem. Tres erant unà proci imperii, inter quos providus fuit Prometheus ille Octavianus. Pro ſuo quiſque compendio varia in ſocietate non diu duratura volvebant, varios etiam ſuis actionibus vultus pro partium, quibus ſinguli faverent, diverſitate affingebant. Interim πρόσχημα boni publici rebus prætendebatur. Proteos agunt, pro ſe quiſque zelum præ ſe fert ſervandi urbem. Feſtivum erat utrinque geſtus & ſimulationes videre. Omnes illorum competitorum orationes meræ gratulationes erant, meræ hortationes erga rei Romanæ bonum. Fides dubia inter tres, ſermo ambiguus, certi nihil incertis in verbis. Tribus verbis ut dicamus, quod certum erat, ille ipſe Triumviratus, *internecio Reipublicæ veteris.* Triarchæ id agebant varia aſtutia, ut interea inter ſe tres ſumma eſſet poteſtas, nullus verò Monarcha. Nullus alterius

rius

rius constringeretur imperio, aut sine alterius consensu imperare posset. Trium verò spes in Regno, non ut per tres sed unum tandem gereretur regnum, eâque spe inter variam spem illi tres oligarchæ omne imperium inter se, ac si esset patrimonium, partiebantur, de quâ partitione Appianus: Τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν, ὡς ἰδιωτικὸν (φεῦ) κτῆμα διενείμαντο ἐφ' ἑαυτῶν. *Romanum Imperium, proh nefas, tanquam privati alicujus Civis fundum inter se partiti sunt.* Et Plutarchus: Διενείμαντο τὴν σύμπασαν ἀρχὴν, ὥσπερ οὐσίαν πατρῴαν ἐν ἀλλήλοις. *Diviserunt inter se totum imperium, sicut patrimonium quoddam.* Imperium quasi possessionem aliquam aut hæreditatem, jure delatam, inter se dividebant, ita ut C. Cæsar utramque Africam cum Sicilia & Sardiniâ; Lepidus Hispaniam ac Galliam Narbonensem; Antonius reliquam haberet Galliam, notante Dione. Tres isti Assertores novi Imperium incerto sibi usu sumserunt, eoque Resp. Rom. facta est quasi Dynastia quædam, periculosa Oligarchiæ specie. Verùm ut in Dynastiis solet fieri, bellum inter hos demum Dynastas ortum est, & Resp. iterum *in Monarchiam*, oppressis Antonio & Lepido, mutata est. Difficilis certè erat custodia Triumviratûs & infida societas inter diversi ingenii & judicii procos. Nihil tutum erat, in quod trium amor ferebatur, atque ubi vota in unam Helenam suspirabant, in odium tandem versa Asseclarum libido, & ab uno expugnatur, quod à tribus incessitur. Rerum quidem summa penes tres fuit, quasi Optimatum trium gubernatione coarctata, infidâ tamen societate, in quâ excellentior reliquis Augustus, Antonius ætate provectior, atque in Augusto tot & tam multæ Virtutes, quot & quantæ optimo Optimati necessariæ essent, sed ut ad tempus, quod vitii fuit, tyrannidem unà exerceret. Illa Triumviralis Tyrannis planè erat aliena à Romanâ libertate, & ut difficile est modum tenere inter dominatores diversos, sic moderatio abfuit. Proscribuntur nomine Triumvirorum *trecenti Senatores & bis mille equites*, & majorem partem crudeliter occiduntur. Numerus is atque Proscriptionis formula, nobis exhibita ab Appiani diligentiâ, tali finitur clausulâ: Ἀγαθῇ τύχῃ τοίνυν τῶν ὑπογεγραμμένων τῷδε τῷ διαγράμματι. Μηδεὶς δεχέσθω μηδένα, μηδὲ κρυπτέτω, μηδὲ ἐκπεμπέτω ποι, μηδὲ πειθέσθω χρήμασιν. ὃς δ' ἂν ἢ σώσας ἢ ἐπικουρήσας ἢ συνειδὼς φανῇ, τοῦτον ἡμεῖς, οὐδεμίαν ὑπολογισάμενοι

1. Bell. civ. p. 352.

Anton. p. 924.

lib. 46. p. 371.

4. Bell. civ. p. 593, 594, 595.

μενοι πρόφασιν ἢ συγγνώμην, ἐν τοῖς προγεγραμμένοις τιθέμεθα. *Ergò quod fælix faustumque sit, ex his quorum nomina huic scripto subjuncta sunt, nemo quenquam recipito, neve celato, neve ablegato, neve pecuniis corrumpito; quisquis autem vel servasse, vel adjuvisse, vel conscius fuisse deprehendetur, eum nòs absque ullâ excusatione veniaque referemus in Proscriptorum numerum.* Graphicè quoque describit

pag. 596. Appianus calamitatis illius miseram & horrendam speciem, in quâ nil erat miserabilius, quàm in summis miseriis nil misericordiæ impetrare, οἴκτιστον ἦν, ὅτε καὶ ταῦτα ὑποστάντες οὐκ ἐλεηθεῖεν, *miserabilissimum erat, quod ne quidem demissis precibus impetrarent misericordiam.* Lætandum erat Romæ sub Triumvirorum adventum, cùm esset tamen multum terroris & tristitiæ in Urbe. Sacrificia peragebantur & negotia suscipiebantur ab invocatione Deorum, ut feliciter succederent, & optatam metam consequerentnr, καὶ διὰ

lib. 47. p. 374. τοῦτο καὶ θυσίας, scribit Dio, ἐπ' αὐτοῖς, ὡς καὶ ἐπ' εὐτυχήμασι τισὶν, ἐψηφίσθησαν. καὶ ἡ ἐσθὴς, ὡς καὶ εὐδαιμονούντων σφῶν, μετεβλήθη. *Itaque & Sacrificia Triumvirorum nomine, tanquam felici rerum statu oblato, decreta sunt; &* vestis *ea, quæ lætis rebus gestari consuevit, resumta.* Cogebantur agere dies lætos adventantibus Triumviris, cùm omnia essent tristia & funesta, de quo statu *Dio* narrat necatos fuisse σποράδην πολλοὺς μὲν γὰρ ἐν ταῖς οἰκίαις, πολλοὺς δὲ ἐν ταῖς ὁδοῖς, ἔν τε ταῖς ἀγοραῖς, καὶ πρὸς τοῖς ἱεροῖς, *promiscuè multos intra domos, multos in compitis, in foris, inque locis sacris,* coactosque fuisse incolas ad vestes eas, quæ lætis rebus gestari consueverant, tanquam felici rerum conditione oblatâ, τά τε ἄλλα, ὅσα ἐπὶ τοῦ Σύλλου πρότερον ἐπέπρακτο, *omniaque alia exemplo Syllanæ calamitatis acta.* Syllanam

p. 374. v. proscriptionem in multis tolerabiliorem fuisse ait, cædiumque immanitatem variè describit, illudque imperium in proscriptos, & in cives, ut lætarentur, τυραννικὸν ὁμοῦ καὶ γελοῖον, *tyrannicum simul & ridiculum,* vocat. Sævum fuit, quod lugere non liceret interfectos, aut ceremoniis consuetis, quæ humanitatis erant, honorare; sævius erat & inhumanius ipsos affectus prohibere, cùm luctu tota urbe oppletô publica indiceretur lætitia, etiam sub pænâ mortis. Id memorat etiam Dio lib. 47. p. 381; & illam immisericordem

Octaviâ v. 495. immisericordiam exhibet tragico filo Seneca, in persona Neronis locutus:

Ille

Ille qui meruit piâ
Virtute cœlum Divus Augustus, *Viros*
Quot interemit nobiles, juvenes, senes,
Sparsos per orbem! cùm suos mortis metu
Fugerent penates, & trium ferrum Ducum
Tabula notante deditos tristi neci?
Exposita rostris capita cæsorum Patres
Vidêre mœsti, flere nec licuit suos,
Non gemere, *dira tabe polluto foro,*
Stillante sanie per putres vultus gravi.

Tristis illa triumviralis Pactio non minus *infida* fuit, quàm *crudelis*. Infidam fuisse diximus, idque eventus docuit; & quàm *crudelis* fuerit, dicemus. Triumviratum describens Florus initio ponit ventum fuisse in *cruentissimi fœderis* societatem. Verè enim cruentum fuit fœdus, quod statim se exeruit proscriptione horrenda & tremenda, de qua Florus: *Nullo bono more Triumviratus invaditur, oppressaque armis Respublica. Redit* Syllana proscriptio, *cujus atrocitas nihil in se minus habet, quàm numerum centum quadraginta Senatorum. Exitus fœdi, truces, miserabiles, toto orbe fugientium, pro quibus quis pro dignitate rei ingemiscat.* Difficile est tenere modum in fortuna, & in ira animorumque motibus. Tres Viri dum putant extremis morbis extremum esse remedium opponendum, in medicando excedunt modum, unde de eis dixit falsè Juvenalis, hos *Syllæ discipulos* ipsum superasse Magistrum crudelitate. Æmulabantur Proscriptores Syllam, sævum olim Proscriptorem, cujus tamen proscriptionis crudelitatem facit inferiorem triumvirali huic Dio, nec extare in memoriis Romanorum simile exemplum præter Sullana tempora affirmat Appianus. *Sullani exempli malum* Vellejo dicitur. In proscriptione Syllanâ plures sectionem proscriptorum omisse refert Plutarchus, & in Sylla, & in Crasso; eaque alio exponetur loco Proscriptio. In hâc triumvirali proscriptione pauci fuêre, qui ad sectionem accederent, teste Appiano. Edictum à proscriptione promulgatum ob immanitatem tam citò displicuit Octavio, quàm citò placuerat conjunctio. Contentionem excitabat statim Ciceronis proscriptio, cùm Antonius nullam conditionem acciperet, nisi prius ille interficeretur; Lepidus Antonio assentire-

num. 3. *Sat. 2. v. 28.* *lib. 47. p. 374, 375.* *4. B. p. 589.* *2, 66, p. 64.* *p. 607.*

tur, & Cæsar utrique repugnaret; tandem tamen tertio die consentiret Octavius, annotante *Plutarcho*, & πλεῖςην ἔριν, *maximam contentionem*, nominante. Varia fortunæ variantis exempla in Octavio exhibet Plinius, & quidem sortis sinisterioris catalogum enumeraturus recenset *Proscriptionis invidiam, Collegium in Triumviratu pessimorum Virorum, nec æquâ portione, sed prægravi Antonio.* Certè, quod mireris, in Triumviratu durissimum se & asperrimum præbuit Augustus, peractosque reos, & aliquos etiam suspectos, afflixit atque necavit, si fides Suetonio, scribenti: *Triumviratum Reipublicæ constituendæ per decem annos administravit, in quo restitit quidem aliquandiu Collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam utroque acerbius exercuit; namque illis in multorum sæpe personam per gratiam & preces exorabilibus, solus magnopere contendit, ne cui parceretur; proscripsitque etiam C. Toranium, Tutorem suum, eundemque Collegam Patris sui Octavii in Ædilitate.* Exempla aliquot insolentiæ & adolescentiæ severioris ibi recensuit. Longè verò mitiora narrat Dio, nempe servatos ab eo, quotquot servari potuerint. Invito Augusto eoque dolente multa duriora consulta emanasse arguit pænitentia summi Principis, qui vehementer per omnem vitam indoluit & inhorruit memoriâ proscriptionum. Ut in proscriptos sæviret, *coactum fuisse* Vellejus ait; *multa enim Victori*, quod scribit Cicero, *eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito, facienda sunt.* Multa permittenda erant Augusto, quæ nollet; & facienda, quæ non probabat, ferociore & impotentiore Antonio; nam in hâc proscriptione sæviores partes egisse Antonium, mitiores verò fuisse Augustum & Lepidum affirmat Dio, iste enim, ὠμῶς καὶ ἀνηλεῶς, *crudeliter atque citra omnem misericordiam*, egit, trucidatorumque capita, εἰ καὶ σιτούμενος, *etiam inter cibum capiendum*, inspexit. Collegam itaque habebat retractarium & difficilem in Antonio, & difficile erat ei, ferre difficilem. Non deerant etiam rationes peculiares sævitiæ, quâ infidos tollere voluerunt, ne summo regno, quod parabant, damnum darent. Suspecti aut mali dum tolerantur, possunt hi evadere eversores rerum, quas superiores volvunt. Audiamus judicium Forstneri: *Augustus sævissimâ proscriptione nobilissimum quemque sustulerat. Adeò & Tyrannum & bonum Principem tam bene expressit. Nimirum erant Imperii initia vio-*

Cic. p. 884.
lib. 7. c. 45. p. 100, 101.
c. 27. 1. p. 88.
lib. 47. p. 377, 381.
2. 66. 2.
Famil. 4. 9. col. 59.
lib. 47. p. 377.
ad Tacit. lib. 3. p. 330.

violenta , consiliaque omnia ad oppressionem libertatis Romanæ spectantia. Necessarium igitur quadam vi tractare, quò cæterus quies esset. Ubi quies erat, & ferocissimis per acies aut proscriptione sublatis, cæteri Nobilium, quanto quis servitio promtior, opibus & honoribus extollebantur; ad bonorum Principum artes transire pars consilii fuit. Quis non judicet magnæ fuisse difficultatis, majoris virtutis & fortitudinis, regere illos, qui contemnebant Triumviros, dum contemnendum in iis videbant Triumviratum superbum, & unà Augustum? Accessit ad invidiam furor plebis, & Militis libido, ita ut ad furentium militum ac promiscuæ plebis voluntatem connivere necessum habuerit *Augustus*; sicut etiam quidam non dubitârat ab ipso Augusto *Attiæ Matris, quæ tum diem clauserat, bona petere*, notante Jo. Antiocheno. Nihil moderabile in violentiâ, nec cladis modus, ubi indulgendum. In hôc proscriptiones furore omnia ferebantur sursum deorsum, ut amici inimicorum, inimici amicorum sorte locarentur, τὰς τε φιλτάτους ἀντὶ τῶν ἐχθίστων ἀλλήλοις προέβαλλον, καὶ τοὺς πολεμιωτάτους ἀντὶ τῶν ἑταιροτάτων, *inter se amicissimos pro iis quorum odio flagrabant, & summos inimicos pro sociis conjunctissimis permutarent.* Ea erat miseria rerum incertarum, ea temporis fortuna, quam, teste Vellejo, *ne deflere quidem satis dignè quisquam potuit, nemo exprimere verbis potest.* In illa veloci flamma triumvirali quæ non mutata, qui non fictis sermonibus falsisque criminibus quæsiti? Quæ simultas, quæ contentio inter ipsos Triumviros? Erant aperti inimici, erant insidiosi amici. Respublica civitasque fracta malis, lugente Urbe, cæde hinc inde grassante. Cladis enarraturus exempla singularia Florus refert, quod *Antonius L. Cæsarem, avunculum suum*; Lepidus *L. Paulum, suum Fratrem* proscripserit, quia primi illi hostes judicandos *Antonium* & Lepidum antea censuerant. *Hæc scelera*, inquit, *in Antonii Lepidique tabulis. Cæsar percussoribus Patris contentus fuit. Hæc quoque nisi multa fuisset, etiam justa cædes haberetur.* Illa cædium permutatione οὐδὲν ὠμότερον, οὐδὲ ἀγριώτερον, *nihil atrocius aut immanius*, extitisse scribit Plutarchus in *Antonio*. Mirandum æque ac miserandum inter proscriptos Ciceronem fuisse, & periisse anno LXIV ætatis. Proscriptionis hæc atrocitas, quod dolendum est, Ciceronem, *Patrem patriæ* olim habitum, neci dedit, dum enim suos quisque

pag. 799.
Dio lib. 47. p. 376.
2. 67. p. 64.
num. 6. p. 361.
c. 25. p. 924.

inimicos persequeretur, & alter alterius cupiditati obsequeretur, obsequendum etiam fuit *Antonio* ab *Augusto*, qui contra animi sententiam Ciceronem, à quo primum Senatui adolescens maximopere fuerat commendatus & ad honores evectus, proscribi permisit. Σφαγεῖς sive Percussores Ciceronis fuerunt Herennius Centurio & Popilius Tribunus, quorum ille ex Antonii jussu Ciceroni caput & manus, quibus scripserat Philippicas, præcidit, notante
Cicer. p. 885. Plutarcho. In lectica inventus atque gestatus à suis Ministris Cicero maxima consternatione extremum diem clausit, neque enim verum, quod ait Sabellicus,
Enn. 6. lib. 8. col. 188. obiisse *sine gemitu & querelâ ullâ*. Ipse jam morti destinatus ab Antonio ita exclamat: *O me nunquam sapientem, & aliquando id, quod non eram, existimatum!* Qui quomo-
Epist. ad Octaviū col. 627. dò variè consternatus inter Popilii manus miserè obierit, docebitur à Plutarcho in ejus Vita p. 884, 885; & Valerio Maximo lib. 5. c. 3. n. 4. p. 206, cujus verba sunt digna, quæ hîc legantur: *Popillius nec re, nec verbo à Cicerone læsus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum proscriptum persequendum & jugulandum mitteretur; impetratisque detestabilis ministerii partibus gaudio exultans Cajetam excurrit, & Virum jugulum præbere jussit; ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, & pacis clarissimam dexteram amputavit, eâque sarcina, tanquam opimis spoliis in Urbem reversus est. Neque ei succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite ejus* (liberando) *quondam peroraverat.* Salutis auctor fuerat Popilio, quem parricidii reum à manifestâ morte patrocinio suo eripuerat, de quo præstantis officii studio legatur Controversia XVII Senecæ, & quæ in eandem animadvertit
p. 96, 97. Schottus. Cadit itaque Cicero manu Popilii Lænæ, ingratissimi clientis, & in capite avulso adversarii exsultabant, vim in ejus linguam, quam vivi metuebant, exercentes. Ostendebatur carum caput in rostro tristi sanè imagine, ubi ille Consul, ubi sæpe Consularis, ubi Orator adversus Antonium cum admiratione eloquentiæ auditus sæpe fuerat. Amplissimi Viri caput unà cum dextra manu pro rostris positum, *conspectiori præ cæteris loco*, ἐκφανέστερον τῶν ἄλλων, Dione narrante lib. 47, p. 378, ubi simul retulit impotentem Fulviæ iram in caput & linguam πολλὰ ἅμα καὶ μιαρὰ προσεπισκωπτούσης, *inter extra ac turpia opprobria* fulminantis; nempe illa caput in manus sumens, atq; atrocibus verbis illudens, & conspuens, genibus

nibus suis imposuit, ac linguam ore extractam acubus, quibus ad capitis ornamentum utebatur, compunxit. Morte cruentâ Ciceronis nondum satiata uxor Antonii linguam mortui perforavit; idque etiam Hieronymus in fine Apologiæ contra Ruffinum notavit: *Apol. 3. col. 373.* *Ne magnopere glorieris, si feceris, quòd Scorpiones possunt facere & cantharides. Fecerunt hoc &* Fulvia in Ciceronem, *& Herodias in Iohannem, quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam discriminali acu confoderunt.* Carum *caput* cum *manibus* pro rostris in tribunali figi jussit Antonius, θέαμα Ῥωμαίοις φρικτὸν, οὐ τὸ Κικέρωνος ὁρᾶν πρόσωπον οἰομένοις, ἀλλὰ τῆς Ἀντωνίου ψυχῆς εἰκόνα, *spectaculum horrendum populo Romano, qui existimabat non se Ciceronis faciem sed Antonii animum scelestum intueri*, scribente Plutarcho in Cicer. p. 884. Sic Cicero invictus cadit manu scelestâ, *nec aliter ad videndum eum, quàm solebat ad audiendum concurrebatur*, Floro dicente, *num. 5.* cum quo congruit Appianus: Ἡ κεφαλὴ τοῦ Κικέρωνος καὶ ἡ *lib. 4. p.* χεὶρ ἐν ἀγορᾷ τοῦ βήματος ἀπεκρέμαντο ἐπὶ πλεῖστον, ἔνθα πρότερον ὁ Κι- *601.* κέρων ἐδημηγόρει, καὶ πλείους ὀψόμενοι συνέθεον ἢ ἀκροώμενοι. *Caput Ciceronis cum manu pro rostris diu pependit, ubi prius agere causas solitus, majorque tunc ad spectandum quàm prius ad audiendum concursus fuit.* Omnia cædibus cernuntur misceri, cruore diluitur forum, consperguntur theatra; atque tristi spectaculo *capita interfectorum* pro rostris ponuntur. Testis Appianus 4. Ἐμφυλ. p. 597: Τῶν προγεγραμμένων ἐν ἀγορᾷ προυτίθεντο παρὰ τοῖς βήμασιν, ἔνθα ἔδει κομίσαντας ἀντιλαβεῖν τὰ ἀγαθά. *Proscriptorum in foro capita proponebantur pro rostris, ubi rependebatur pro eis præmium.* Testis Dio in Excerptis p. 663. Lugent Historici casum Ciceronis, luget Valerius, in *p. 607.* hæc verba desinens: *Invalidæ ad hoc monstrum* (Popil.) *sugillandum literæ, quoniam qui talem Ciceronis casum satis dignè deplorare possit, alius Cicero non extat.* Luget Vellejus ob Ciceronem interemtum, invito Augusto, & æternæ memoriæ destinat. *Nihil tam indignum*, ait, *illo tempore fuit, quàm quod aut Cæsar aliquem proscribere* *2, 66. p.* coactus *est; aut ab illo* Cicero *proscriptus est, abscissaque scelere An-* *64.* *tonii vox publica* (in Cicerone) *est.* Elogium supremum, quod scripsit ibidem Ciceroni, lectu dignum est, & inter alia fatidicum hoc: *Vivit vivetque per omnium seculorum memoriam, omnisque posteritas illius in Te scripta mirabitur, & tuum in eum factum execrabitur.*

Exe-

Execratur factum Seneca, Consol. ad Marciam p.616: *M. Cicero si eo tempore, quo Catilinæ sicas devitavit, quibus pariter cum patria petitus est, concidisset, liberata Republica Conservator ejus; si denique Filiæ suæ funus secutus fuisset, tunc felix mori potuit; non vidisset stri-ctos in civilia capita mucrones; nec divisi percussoribus occisorum bona, ut etiam de suo perirent; non hastam consularia spolia dividentem, nec cædes, nec locata publicè latrocinia, bella, rapinas trium Catilinarum.* Salsè trium Catilinarum nomine Triumviros intelligit. Miratur Julius Firmicus, exclamans: *Quis impuris & effæminatis cupiditatibus cum lugubri miseroque omnium fletu venerabilem Ciceronis tradidit sanguinem?* Fato id tribuit. Invectivam in Antonium ob necem Ciceronis scribit M. Sabellicus Orat. de Cicerone col. 488. Octavio autē implacabilis recentior Orator scribit: *Condonare non possum, quod perfidi Triumviratus amore disertissimum illum Romuli nepotum Antonii furoribus victimam objeceris, quod illam linguam, sine qua jamdudum conflagrasset Roma, sine qua nec tu Consul unquam, nec Imperator fuisses, rostris affigi siveris, ut regnares.* Non quod voluit Augustus, potuit, quem Antonius traxit in necem Ciceronis. Mitis Augustus in illâ proscriptione se rigidum fieri passus est, quia rugaverat frontem Antonius in excidium Oratoris. Non Augusti sed Antonii erat sævitia in Ciceronem, quam mitigare aut mutare non potuit. Interfectio Ciceronis erat Antonii pax, & turbidi Antonium sermones perstrinxerant, ut nunc inexorabilis esset. Labitur Octavius non ignoratione misericordiæ & affectus, sed impatientia Antonii, cui, ut & Lepido, multa concessit, quæ ipse fecisset nunquam, & à quibus seriò abhorrebat, testante Dione. Abhorruit à cæde Ciceronis, sed ultioni intento Antonio concessit. Quò averteret Octavius à se Ciceronis proscripti dedecus, filium ejus Augurem fecit, & paullò pòst Consulem, memorante Appiano; quique consenserat in Ciceronis necem, postea Antonio debellato consensit, ut Ciceronis Filius Antonii statuas dejiceret, omniaque alia abrogaret ornamenta. Οὕτω, addit Plutarchus, τὸ δαιμόνιον εἰς τὸν Κικέρωνος οἶκον ἐπανήνεγκε τὸ τέλος τῆς Ἀντωνίου κολάσεως. *Ita ad extremum ultio in Antonium divinitus ad domum Ciceronis rediit.* Proscriptorum varia nomina, cædes, exilia, mortes, describit fusè Appianus 4. Civil. p. 595. usque ad p. 610, & dum recenset catalogum,

[Margin notes: 1. Math. 3. p. 12. — Barlæus de bono Princ. p. 14. — l. 47. p. 377. — in Cic. p. 886.]

logum, in eo recensitum invenimus M. Terentium Varronem pag. 616. describitque Vertranius Maurus in Vitâ Varronis p. 195, quid cum eo contigerit. Inter proscriptos *Æmilius*, Appianus 4. Εμφυλ. p. 605, Sueton. c. 16. p. 78; Minutius & Annalis, Prætores, p. 599; Salvius, Tribunus Plebis, App. p. 598, qui diu inhibuerat, ne *Antonius* judicaretur *Hostis*; sed à Cicerone persuasus consensit, consiliisque ejus adhæsit. Proscriptus à Triumviris domi suæ in convivio cæsus fuit. Proscriptus etiam ob gemmam *mira Antonii feritate atque luxuria*, notante Plinio, *Nonius*, filius Strumæ Nonii *ejus, quem Catullus Poeta in sella curuli visum indignè tulit*. Respicit carmen Catulli LIII, v. 2. *Sella in curuli Struma Nonius sedet*, ubi videndus Muretus. Sors sanè acerba Urbis, cujus ærumnæ querelis variis dederunt locum. Sit justa quamvis pæna multorum, crudelis tamen potest videri. Divitibus cumprimis exitiosa Proscriptio, qui pro cupiditate mil tum visi rei, notante Dione. Nec abstinebant manum, ubi vel villa placeret, vel amœnior domus, teste Appiano. Triumvirorum largæ erant promissiones erga militem, notante etiam Cluverio. Decem & octo opulentissimarum Italiæ Urbium agrum in Triumviratu ineundo militibus destinatum, Appianus autor est. De hoc accipiendum illud Taciti, *divisiones agrorum, ne ipsis quidem, qui fecere laudatas*; atque etiam illud addendum de prudentum consiliis, quibus Octavii facta laudabant aut arguebant, indigna hæc & tristia arma civilia inter *malas artes* ponentium, sine quibus *non parari, non haberi* illa possent. Magnam tunc cladem tulit Mantua; quum enim Cremona victoribus in spolium esset data, propter viciniam magnam agri sui partem amisit; hinc Virgilius:

lib. 37. c. 6. p. 519. Comm. f. 67. *l. 47. p. 383.* *4. p. 592.* *4. Ital. p. 1297.* *4. p. 590.* *1. 10. 5.* *1. A. 9. 3.*

Mantua, væ miseræ nimium vicina Cremonæ. *Ecl. 9. v. 28.*

Nec cruore tantummodò contaminatæ publicæ viæ, sed & vacua justitiæ arbitris tribunalia inventa, culpâ potissimum Antonii & Fulviæ, turpes & perditos homines in Curiam inducentium. Grave erat servos, quasi liberos, dignitates ambivisse publicas easque accepisse. Nobilis est historia *Barbarii Philippi*, servi fugitivi, qui Romæ pro libero se gerens Præturam à populo petiit & impetravit & gessit, quo de solemnis Lex *Barbarius Philippus* 3 *ff. de Officio Prætorum*, & in eam Dissertatio Jacobi Gothofredi potest legi,

gi, & quidem pag.16,17; quod dedecus Reipublicæ an eo Triumviratu acciderit, dubitari potest, quamvis eò rapiatur illud exemplum, unico Suidæ testimonio. Non memor juris Antonius, atque pudore pessum dato immemor æquitatis humanæ, & huc & illuc jactabatur; & unà invitus abripiebatur Octavius, *multa Antonio, dum interfectores Patris ulcisceretur, multa Lepido concedens*, pru-
1.A. 9.4. dentum arbitrio apud Tacitum. Quibus amicitiæ simulatæ crustis Triumviratus obductus fuerit, quo studii in Remp. velo dissolutus, quis reputare satis aut exponere potest? Pari in societate potentiæ concordes vix ac ne vix quidem possunt esse. Quod contigit in Cæsare, Crasso, Pompejo; hoc contingebat in Augusto, Antonio, Lepido. Videri poterant simplicioribus concordare Triumviri, verùm ὅμοια λαλοῦντες ἀνόμοια φρονοῦσι, *similia loquentes dissimilia sentiunt*. Turbidum erat ingenium Antonio; Octaviano tran-
Dio 48. quillum; Lepido medium, ἐν τοῖς ὀνόμασι μόνον ἄρχοντι, *qui*
p.422. *nomine tantùm imperabat*. Antonius ad libidinem effusus, ad impietatem temerarius, ad cruorem efferatus, ad vindictam ferociter exaltans. Inquieto animo oppositus Octavius verba meliorum audit, deteriora sequitur serviens tempori. Desistit tandem, seque mutat post Triumviratum, adeo ut, censente Fulgoso, neminem,
6.Exēpl. neque ante, neque pòst, humanitate vel bonitate majorem habue-
9.p.105. rit. Dissidebant interea secum Triumviri ipsâ in communione, nondum verò innotescebat, nec in confesso erat animorum latitans secta. In unum conveniunt diversorum morum Viri, scripturis agunt, verba invicem dant, subscribunt, in immensum dissident senex Antonius, Vir Lepidus, Juvenis Octavius. Fert alter alterius judicium, sed aliud agitur, aliud judicatur. Male sartam amicitiam
p.478. Antonii & Octaviani describit Dio lib. 50. initio: Ὅ γε Ἀντώνιος καὶ
seq. ὁ Καῖσαρ ἐξ ἴσου ἔτι τὰ πράγματα εἶχον, τά τε πλείω σφῶν διειληχότες, καὶ τὰ λοιπὰ τῷ μὲν λόγῳ κοινὰ νομίζοντες, τῷ δ' ἔργῳ ὥσπερ πλεονεκτῆσαί τι ἑκάτερος αὐτῶν ἐδύνατο, ἰδιούμενοι. *Antonius & Cæsar æquatâ potentiâ rerum potiebantur, pleraque inter se sorte partiti, cætera quùm maximè communia inter se faterentur* verbis, *ipsâ* re *alter alteri præripiebat in privatum usum, occasione sic ferente*. Eandem Suetonius c.17.p.79 scitè exponit: *M. Antonii societatem semper dubiam & incertam, reconciliationibusque variis malè focillatam abrupit tandem*.

tandem. Verè etiam S. Ambrosius in ⸸.45.p.576. *Quid* Triumviros *loquar, ex hostibus amicos, ex amicis rursus in hostiles tumultus esse progressos?* Qui in evertendis hostibus unanimes fuerant, illi hostibus oppressis sibimetipsis diffidebant, χαλεπὸν γὰρ, ait Dio, ἄνδρας τρεῖς, ἢ καὶ δύο, ὁμοτίμους, ἐγκρατεῖς τηλικούτων ἐκ πολέμου πραγμάτων γενομένους, ὁμονοῆσαι. *Difficile erat, tres, aut etiam duos viros, æquali dignitate sublimes, quum bello tantarum essent rerum potiti, concordiam servare.* Miri tres arbitri rerum publicarum sociandarum, ubi socii ipsi dissident. Arbitrorum est sine dolo judicare, controversiam componere, dissidentem Rempublicam reconciliare. Penes Tres erat agendi & pronuntiandi arbitrium. Tres Judices omnia tunc poterant, sed corrupto judicio alter hoc, alter alio arbitrio erat. Primaria regula erat Consularem Rempublicam liberamque, quam vocabant, Politiam reformare, corrigere, aliam in formam redigere, sed dum temperamentum quærunt Triumviri, medium invenire nequeunt, & omnia intemperatè agunt. Quid istis moribus sacrum putes? Quæ hîc subsidia pacis aut regni? Titulo quidem *Triumviratûs* Rempublicam administrandam suscepêre, pari honoris potestatisque consortio, sed non pari animorum concordiâ, sine quâ non diu substitit, quod sumtum fuit; neq; enim remum diu unà traxerunt, æmulatione exortâ præposterâque ambitione consiliis, quæ in commune fieri cæperant, turbatis; scissis enim semel in contraria studiis Augustus, occasione rerum agendarum felicior factus, ita rem egit tandem omnem, ut unus clavum acciperet Reipublicæ, contentis operis efficiens, ut *unus* & *omnis* esset; Tacito quippe docente, postquam Lepidus *socordiâ senuerat*, Antonius *per libidines* pessum jerat, *non aliud discordantis Patriæ remedium fuit, quàm ut* ab Uno *regeretur.* In urbe verò proscriptione finitâ quum Triumviri peregissent omnia πρός τε τὴν ἐπιθυμίαν τὴν ἑαυτοῦ ἑκάστου καὶ πρὸς τὸ ἴδιον συμφέρον, *suâ quisque ex cupiditate proque suo commodo*, ad alia animum adverterunt, Λέπιδος μὲν αὐτοῦ τήν τε πόλιν καὶ τὴν ἄλλην Ἰταλίαν διάξων ὑπέμεινε. Καῖσαρ δὲ καὶ Ἀντώνιος ἐξεστράτευσαν, *Lepidus quidem Romæ permansit, Vrbem Italiamque omnem gubernaturus; Cæsar autem & Antonius ad bellum profecti sunt;* Triumviratum quippe & crudeles proscriptiones sequebatur *Philippense Bellum* à Cæsare & Antonio gestum, ἐνείμαντο δὲ καὶ

lib. 48. *p.* 408.

1. *A.* 9. 4.

Dio lib. 47. *p.* 386, 387.

Plut. Anton. p. 924. τὸν ςρατὸν, ἐπὶ Βρȣ͂τον καὶ Κάσιον εἰς Μακεδονίαν ςρατεύοντες ἀμφότεροι, Λεπίδῳ δὲ τὴν Ρώμην ἐπιτρέψαν, *diviso enim exercitu proficiscebantur ambo* (Antonius & O.) *ad bellum Bruto & Cassio faciendum, Lepido Urbem permitentes,* de quo bello jam acturi sumus.

9. Bella absolvit Civilia quinque, Julii Cæsaris necem vindicans; duo adversus M. Antonium, primum *Mutinense*, atque *Actiacum* ultimum; *Philippense* unà cum M. Antonio contra Brutum & Cassium, Julii percussores; *Perusinum* contra L. Antonium, Marci Fratrem; *Siculum*, contra S. Pompejum, duobus præliis confectum, uno apud Mylas, altero apud Artemisium.

QUinque Bella erant prius subeunda Octavio, quàm Monarcham se ferret faceretque, 1. *Mutinense*, contra Antonium, se spernentem; 2. *Philippense*, quod cum Antonio sibi reconciliato contra Brutum & Cassium gerebat. 3. *Perusinum*, contra L. Antonium, Triumviri Fratrem, res novas in Italiâ molientem; 4. *Siculum* contra Sextum Pompejum, Cn. Filium; 5. *Actiacum*, contra M. Antonium, quo sublato æmulo solus rerum potitur, & Monarchiam obtinet. Bella civilia illa quinque *coacervationem malorum* explicat Orosius, de quorum causa vel prætextu Suetonius: *Omnium bellorum* initium & caussam *hinc sumsit, nil convenientius ducens, quàm necem Avunculi* (Cæsaris) *vindicare, tuerique acta. Confestim ut Apolloniâ rediit,* Brutum Cassiumque, *& vi nec opinantes, & quia prævisum periculum subterfugerant, legibus aggredi, reosque cædis absentes deferre statuit.* Vi & inopinatò primùm evertere voluerat istos percussores; sed quia id non succederet, viâ juris per leges & judicia vindictam poscebat; quumque nec hâc succederet, alia fortiori. Hæres non minus opum quam Regni volebat esse;

6. 18. p. 523. cap. 10. p. 73.

inde

inde prima fax belli. Breviter suo more Florus: *Prima civilium motuum caussa Testamentum Cæsaris fuit.* Titulus itaque bellorum ex Testamento, unde res & historia turbarum, pertracto Octavio ad hanc palæstram vindicandi Julii Cæsaris necem & terrestris & aquatici generis bellis. Bello primo civili, quod *Mutinense* dicitur, cùm Octavius autoritate Senatûs liberasset Brutum, Mutinæ obsessum à M. Antonio, *protinus Pompejanis partibus rediit animus* victo Antonio, & nova spes fuit Patribus & Reipublicæ ad recipiendam libertatem. Decretæ Provinciæ *Bruto Cassioque*, quas jam ipsi *sine ullo Senatusconsulto* acceperant; *laudati, quicunque his se exercitus tradidissent. Omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio.* Non expectarat Brutus & Cassius decreta Senatûs, quam audaciam molli tum fronte, quamvis probare non possent, perferebant Patres conscripti, nec grave hoc Ciceroni erat, disertè scribenti: *D. Bruti, præstantissimi Civis, edicto allato, atque proposito, factum ejus collaudavistis; quodque ille bellum privato consilio susceperat, id vos auctoritate publica comprobastis.* Latâ satis confidentiâ auctoritatem dabant, & erat infelix audacia conjectandi de fructu Mutinensis belli, quasi res pro libertate jam confecta, victo Antonio, esset; quæ opinio fraudi fuerat *Nursinis*, quos Octavius *grandi pecunia*, & quam pendere nequirent multatos, *extorres egit oppido*, quòd Mutinensi acie interemtorum civium tumulo, publicè exstructo, adscripsissent: *Pro Libertate occumbentibus.* In eâ fuerant tunc persuasione de Libertate jam uno prælio acceptâ; sed quamprimum ad aures venerat, Antonium post fugam à Lepido receptum, conqueritur Rutilius, Mutinensi quidem victoriâ libertatem adeptam, sed mox eam felicitatem fuisse interversam Lepidi culpa; sic enim scribit:

4.4.1.

Vellej.2. 62.p.61.

Philipp.5. col.875.

Suet.c.12. p.75.

1. Itiner. v.299.

> *Ille tamen* Lepidus *pejor civilibus armis,*
> *Qui gessit* sociis *impia bella* tribus;
> *Qui libertatem Mutinensi Marte receptam*
> *Obruit auxiliis Urbe favente novis.*

Nondum expeditum erat Mutinæ negotium, sed gravius incubuit *Bellum Philippense* anno ab V.C. DCCX, cujus nomen devenit à loco sive urbe Macedoniæ, quòd in campis Philippensibus gestum fuerit bellum. Macedonia bis inclaruit, ex civilium bellorum pro-

cellis crudentata, ſemel in Pharſalicis campis, auctore Julio, ſemel in Philippicis, duce Octavio, unde memorat *Æmathiam* (priſco nomine) *bellorum civilium domeſtico ſanguine madentem* Valerius, *amens propoſitum furoris* taxans, imitatus ſine dubio Virgilium ſub finem primi Georgicorum.

9. Exempl. 11. p. 399.

Nec fuit indignum ſuperis bis ſanguine noſtro
Æmathiam *& latos Æmi pingueſcere campos.*

Prœliis innotuêre *Philippi Theſſaliæ* cæſo Cn. Pompejo, & *Philippi Macedoniæ* ſive *Thraciæ primæ* cæſo Bruto ejuſque ſocio Caſſio. Non habuêre explorata loca, nec ad calculos revocarunt res geſtas, qui confudêre, inter quos Florus ſuâ autoritate quoſdam fefellit, ſcribens: *Cæſar cum Antonio in Caſſium Brutumque ſuccingitur. Illi comparatis ingentibus copiis* eandem illam, *quæ fatalis Cnæo Pompejo*, harenam *inſederant*. Cum eâ opinione conveniunt Poetæ, Virgilius Georg. 2. v. 490.

num. 6.

Romanas acies iterum vidêre Philippi.

Ovidius item 15. Metam v. 824.

Æmathiique iterum madefient cæde Philippi.

Gemino Marte ſtrictos Philippos dicit Petronius Carm. de Bello civili v. 110. Locos diſtinctos aſſerit Lipſius *ad Vellej. 2. 70. p. 290*; quem ſequuntur Flori commentatores Frenshemius & Boeclerus. Error itaque eſt exiſtimantium, eôdem loco, quo Pompejus à Julio victus fuerit, debellatum quoque fuiſſe Caſſium & Brutum, nam hi in Philippicis, ille in Pharſalicis occubuêre, quod deducit Eduardus Simſonius. Virgilium verò eximere à conſortio errantium Voſſius vult. In tabulas ſuas tranſcribit bellum, loco non corrupto, Autor Epigrammatis, quod extat in Catalectis veterum Poetarum:

6. Chron. Cath. p. 70.

In Macetûm campis ultus jam Cæſaris umbras,
Sum Patris, Auguſtus bello armiſque ſuperbus.

in Vellej. p. 88.

Prima expeditio, Triumviratu conſtituto, erat contra Brutum & Caſſium, Cæſaris interfectores, quorum hic ad Syros contenderat, ille verò Græciam, Macedoniamque ſibi adjunxerat, notante Dione, miſſis Romam literis à Bruto ad Senatum, cui ſeipſum & milites ac provincias in poteſtatem tradidit; ad Cæſarem, ut Antonio reſiſteret, ac ſecum in gratiam rediret. Spe perſuaſus decernebat Senatus, poſt Mutinenſem maximè victoriam, Bruto & Caſſio hono-

lib. 47. p. 386. p. 387.

res

res quàm amplissimos, quasi *Libertatis vindicibus*; sed non unà cum
Julio cæso Libertas aut Respublica recuperata, non dominatus
regius sublatus, non vulnera sanata, nondum acerbissimum bel-
lum civile restinctum. Ingenuè sed trepidè Cicero: *Nobis quæ con-* 14. *ad At-*
solatio? qui interfecto Rege liberi non sumus? Iterum Attico suo: *Quid* *tic.* 11. *col.*
censes, cùm Romam Puer (Octavius) *venerit, ubi nostri* Liberatores 522.
tuti esse non possunt? Qui quidem semper erunt clari, conscientiâ verò *Ep.*12. *col.*
facti sui etiam beati, sed nos, nisi me fallit, jacebimus. Duriuscula lo- 523.
cutio; nihilominus sibiipsi Cicero subvenit, scribens ad Brutum: *Epist.* 10.
Spes libertatis nusquam, nisi in vestrorum castrorum præsidiis. Firmos *col.*610.
omnino & Duces habemus ab occidente, & Exercitus. Antea majò-
ri animo scripserat: *Sunt fidelissima & maxima auxilia Gallorum.*
De Hercule suo Epistolâ 13. col. 611: *Maximam spem hoc tempo-*
re habemus in TE atque exercitu tuo. Ad Reip. summam, ad gloriam
& dignitatem tuam vehementer pertinet, te in Italiam venire quam-
primum. Hæc opinio fuit de Bruto, unde vulneratæ Romanæ Reip.
Medicina sperabatur, quâque magis nil optabatur. Quæ verò con-
ditio rerum? Nondum vulnera illa fuere lethalia, quæ Iulio Brutus
& Cassius inflixerant. Spiritum reddidit Octavius Imperio non-
dum lethaliter vulnerato. Plaga subrogato Octavio Cæsare curata,
vulnusque consolidatum, quando regnum convalescens vires &
spiritus resumsit. Cædes cædem, plaga secuta plagam, præsagoque
spiritu scripsit iterum Attico Cicero: *Res ad cædem maximam spe-*
ctat. Cædis certè Julianæ auctores præcipui Brutus & Cassius, ju- *Ep.*13. *col.*
dice Floro, *illo ipso parricidio*, Libertatem, *quam maximè restitu-* 523.
tam voluerunt, perdidere, auctoresque hos Octavius cum Antonio 4. 7. *p.*
quærebat, ut perderet, vindicandæ Patris neci totus intentus. Ar- 363.
mis suis *Bruto-Cassiani* non nisi nomen Reipublicæ & Senatûs præ- *Dio l.* 47.
texebant, *testati edictis*, teste Vellejo, *libenter se vel in perpetuo exsi-* *p.*386.
lio victuros, dum Respublica *constaret* concordiâ, *nec ullam* belli
civilis *præbituros materiam.* Consensum magno applausu pro Pa-
tribus & Republicâ, in transmarinis præsertim Provinciis. Inde
illa tam subita mutatio Octavii in partes Antonii & Lepidi, & illa
tam subita victi Antonii velut in integrum restitutio, atque hinc
enata Societas triumviralis, Octavio contemtum suum vindican- 3. *B. C. p.*
te, quod fusè docet Appianus. Detestabatur præ aliis Octavius 574. & *seqq.*
Brutum

Brutum & Caſſium, gravioribus obnoxios in ſe criminibus, qui ſe-
mel profeſſi perſecutionem Julianorum addixerant ſe militiæ, audi-
tâque proſcriptione Triumvali majori ſe obſtrinxerant religione,
teſte Dione, nam Triumvirorum audientes conjurata pacta, καὶ τὰ
πραττόμενα ὑπ' αὐτῶν κατὰ σφῶν, συνῆλθον, καὶ τὰ πράγματα ἔτι καὶ
Dio lib. μᾶλλον ἐκοινώσαντο. τήν τε γὰρ αἰτίαν τὴν τοῦ πολέμου τὴν αὐτὴν ἔχοντες, καὶ
47. p. τὸν κίνδυνον τὸν αὐτὸν προσδεχόμενοι, τήν τε ὑπὲρ τῆς τοῦ δήμου ἐλευθερίας
394. γνώμην μηδὲ τότε ἐξιστάμενοι, πολλῷ προθυμότερον κοινῇ πάντα καὶ ἐβου-
λεύοντο καὶ ἐποίουν, *ac de iis quæ contra ſe ab illis acta eſſent*, arctiorem
adhuc rerum omnium ſocietatem *inibant*, *eandemque belli cauſam*
agentes, *idemque periculum timentes*, *ſententiamque de tuendâ populi*
Romani libertate adhuc in animis ſuis retinentes, ſummâ cum alacri-
tate *in medium conſulebant*, *eandemque cauſam agebant*. Contendit
promtiori alacritate bellum gerere Octavius, atque ire non tam
contra Brutum & Caſſium, quàm omnes, qui poteſtati ſuæ & Col-
legarum adverſarentur, idque Republicâ Romæ utcunque ordina-
num. 5. tâ, nam quod Florus ait, *ordinata magis ut poterat, quàm ut debebat,*
p. 564. *in Triumviros Republica, relicto ad Vrbis præſidium Lepido, Cæſar*
cum Antonio in Caſſium Brutumque ſuccingitur. Bello non intererat
Lepidus, quem ex pacto triumvirali ad Urbis & Italiæ tutelam re-
linquebant, forſitan tanquam inidoneum rerum foris gerenda-
rum. Minæ erant Ducum ingentes aſſultuſque belli in maximis
habendi, in quo totum rerum negotium & certamen videbatur eſ-
ſe ſitum. Omnium certè civilium bellorum μέγιστος ἀγὼν, *maxi-*
Dio p. *mum certamen*, præ oculis erat, quia non ullo magis prælio quam
399. hoc, περί τε τῆς ἐλευθερίας καὶ τῆς δημοκρατίας, *de libertate & ſtatu*
Reip. populari actum fuerat; & ab hoc prælio, quod verè ſenſit *Dio*,
τό, τε δημοκρατικὸν συμπαρανάλωσε, καὶ τὸ μοναρχικὸν ἐκράτυνε, *extin-*
cto Populi principatu Monarchica poteſtas vires aſſumſit. Sæpe apud
Terentium eſt, & Comicum Plautum: *Quid me fiet?* Brutus nunc:
Quid mî fiet? Majoris virtutis erat tueri ea, quæ per parricidii ini-
quitatem ſolenni cæde acquiſiverant. Obſtabant Triumviri, quæ
erant tria capita tollenda, ſed duobus capitibus, Bruti & Caſſii,
ablatis Libertas omnis calcabatur; illa enim Philippica pugna po-
lib. 47. p. tiſſimùm Libertatem populi Romani ſuſtulit, notante Dione, qui
399. eleganter ait: Ὅθεν οὐδ' ἀνέκυψεν ἔτι πρὸς ἀκραιφνῆ παρρησίαν ὁ δῆμος.

Ab

Ab hoc prælio nunquam ad libertatem P.R. oculos sustulit, vertente Xylandro. Oculos itaque sustollamus eò magis ad exercitum lustrandum & ad prælium hoc videndum. Exercitus erat ex utraque parte satis instructus, *ingentesque copias* Bruto-Cassianas memorat Florus. Cassius ex castris Ciceroni, quas & à quibus copias accepe- *num.6.*
rit, scribit: *In Syriam me profectum esse scito ad L. Marcum & Q.* *12. Famil.*
Crispum Impp. Viri fortes optimique cives, posteaquam audierunt, *11.p.323.*
quæ Romæ (inter dissidentes Cives) *gererentur, exercitus mihi tradiderunt, ipsique mecum unà fortissimo animo Remp. administrant.* Accessisse alias Legiones, quatuor ab Allieno, unam à Basso, addit, & concludit: *Scire te volo, firma præsidia Vobis, Senatuique non deesse.* Aliâ ad eundem Epistolâ p.328. *Exercitus omneis, qui in Syria fuere, teneo.* Copias eas Julius Cæsar collocaverat in Syriâ, cùm de Parthico bello cogitaret. Cicerone autem *hortante*, imò *auctore*, arma cepisse ait *contra importunissimos latrones*, Antonium puta & Octavium, *ad Rempublicam libertatemque defendendam.* Concludit: *Velim, ut meremur de Rep., sic felices simus.* Quis non videt, quæ velit Cicero, qui in hoc negotio primas tribuit Cassio & Bruto. Brutus octo legionibus instructus, Cassius duodecim, expectabant Cæsarem, quem cum Antonio per mare Jonium classe adventurum nuntiârat Brutus. Placuit autem prius Cassio Rhodios mari potentes subigere, Bruto Lycios, quàm conjunctis copiis cum Cæsare de summâ rerum decernerent. Inde itum in Macedoniam, & gestum bellum ad Philippos, Macedoniæ urbem, cùm diligenter excusserint omnia loca, nec ullum magis peropportunum Græciâ putarint. Græciam sibi commodam illi Censores putabant, ubi fortunam belli experirentur suasque copias militares augerent, sed dum expilabant agrum Atticum vicinumque vexabant populum, cumulatâ suâ infelicitate, tandem in extremum ruebant discrimen, quod quidem ut fiat manifestius, adducimus Paulum *lib.6.p.*
Orosium: *Brutus & Cassius magnis exercitibus comparatis apud A-* *525.*
thenas convenerunt, totamque Græciam depopulati sunt. Rhodios *Cassius terra marique oppugnatos ad deditionem coegit, quibus præter vitam nihil reliquit. Igitur Cæsar & Antonius eosdem in Macedoniam magnis bellorum apparatibus persecuti, ad mortem compulerunt.* Primâ quidem facie favebat fortuna belli partibus Bruti, qui

M ipsum

ipſum ſtatim initium habuit gratum. Antonius quidem initium fecerat contra Caſſio-Brutianos, ſed cùm initio damnum aliquod ſentiret, οὐκέτ' οὐδ' αὐτὸς ἐθάρσει, *animum demittebat*; quo audito Cæ-
Dio lib. ſar verebatur, ne ſe abſente *aut vinceretur Antonius, aut vinceret,*
47.p.398. utrumque autem ſibi incommodum fore, Antonio diffidens feſtinatò adeſt, licet adhuc ægrotante corpore, Antonianiſque animum reddidit. Præſtat audire Suetonium de Auguſto: Philippenſe
*c.*13.*p.*75. bellum, *quanquam invalidus atque æger, duplici prælio tranſegit, quorum* priore *caſtris exutus vix ad Antonii cornu fuga evaſerat.*
7.45.*p.* 101. Invalidus erat ab hydrope, ſi fides Plinii verbis: *Philippenſi prælio morbus, fuga, & triduo in palude ægroti, & (ut fatentur Agrippa & Mæcenas) aquâ ſubter cutem fusâ turgidi latebra*, emendante Sal-
ad Solin. *p.*23. maſio. Inſtructâ utrinque acie par utrinque erat animorum ardor, utrinque habitis orationibus, quibus animaretur exercitus, de quibus cohortationibus Dio lib. 47. p. 401, 402; Appianus 4. B.C. p. 641 uſque ad p 648. Utrinque *par diſcrimen. Capta ſunt hinc Cæ-*
*num.*10. *p.*365. *ſaris caſtra, inde Caſſii,* dicente Floro. Utraque quippe pars & vicerat & ſuccubuerat; Brutus Cæſaris cornu profligaverat; Caſſium Antonius pepulerat; de quo legendus Dio lib. 47 pag. 403, 404, ubi ait: ἐκράτησαν ἀμφότεροι καὶ ἡττήθησαν. *Vtraque pars & vicit, & victa eſt.* Mira ſpecies pugnæ, ubi plenam Cæſareanis victoriam *error* dedit. Caſtris exutum fuiſſe Auguſtum priori prælio *Suetonius* retulit; & acciderat prælianti, ut cum ſuo cornu ſiniſtro ſuperaretur à Bruto; mutatâ verò fortunâ Antonius ſuperaret, in dextro cornu ſtans, Caſſium, qui victus jugulandum ſe Pindaro liberto præbebat, credens Brutum quoque victum fuiſſe. Caſſius quidem errore, dum ſuos fugere opinatur, qui vicerant, ipſe ſibi manus infert, ut plerique tradiderunt, ſeu, ut alii volunt, caput præſcindi ſibi jubet. Brutus vero à comite fugæ interfectus, cùm Caſſium audiret violentè defunctum. Signatè Vellejus 2.70.p.67. *Victus acie* (Brutus) *cùm in tumulum noctem ex fugâ ſe recepiſſet, impetravit à Stratone Ægeate, familiari ſuo, ut manum morituro commodaret ſibi, rejectoque lævo ſuper caput brachio, cùm mucronem gladii ejus dextera tenens ſiniſtræ admoviſſet mammillæ, ad eum ipſum locum, qua cor emicat, impellens ſe in vulnus uno ictu transfixus expiravit.* Signatius de αὐτοχειρίᾳ hâc Bruti & Caſſii, quanquam per alienam factâ manum,

rum Florus, claudens historiam belli: *Quis sapientissimòs viros non miretur ad ultimum* non suis manibus *usos? nisi si hoc quoque ex persuasione defuit, ne violarent manus, sed in abolitione sanctissimarum piissimarumque animarum* judicio suo , scelere alieno, *uterentur.* Maluerunt suorum comitum occidi, quàm hostium manibus, exitu tali, quem desperatio, non virtus, inducebant , quem furor & amentia, non constantia, suppeditabat. Mirari licet devictorum desperatam salutem; ipsorumque Victorum vix speratam victoriam. Quibus ea felicitas describitur, virtutem Antonii deprædicant alii; alii consilium Cæsaris in lecticâ circumlati extollunt. Audacter Orosius : *Manifestissimè illa tunc pugna non virtute partis Antonii, sed Cæsaris fælicitate confecta est.* Somnio autem Medici id probare contendit, ita ut & *somnium* & *error*, mira enim hæc, victoriam dederint. *Victoriam error dedit*, inquit Florns. Victoriam *D*eus dedit, non cæcæ fortunæ hîc cum Floro partes assignandæ , qui hîc exclamat: *Quantò efficacior est Fortuna, quàm Virtus! Et quàm verum est, quod* (Brutus) *moriens efflavit, Non* in re *sed* in Verbo *tantum esse Virtutem*; nempe Brutus interiturus *Virtutem* nil nisi *nomen* esse proclamaverat, teste Dione, fortunam adversam incusans; sicuti Thebanos de virtute questos ait Papinius, dum vident occisos suos. Iste Brutus cùm malis artibus obtinere non posset, quæ desiderabat , in Virtutis studium invehit , quasi se ei addixisset sine fructu, nam in eam vocem sub exitum suum prorupit:

6.18.p. 525.

num. 11. p.365.

lib.47. p.406. lib. 12. v.28.

Te colui virtus ut rem, ast tu Nomen inane es.

Quantò rectius Dio, Bruti , Cassii & cæterorum obitus recensens infelices, judicium tulit: ὡς που τό, τε δίκαιον ἔφερε , καὶ τὸ δαιμόνιον ἦγεν, ἄνδρα αὐτοὺς εὐεργέτην σφῶν ἐς τοσοῦτον καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς τύχης προχωρήσαντα ἀποκτείναντας παθεῖν. *Ita nimirum & justitia postulabat, & Deus volebat eos interire , qui Virum ad id virtutis & fortunæ progressum, ac insuper benefactorem suum, occidissent.* Deum, vindicem sceleris in Julium commissi agnoscunt ipsi scriptores gentiles, residuam enim fuisse pœnam, quæ solvenda esset, religiosè confirmat Dio, & quod Justitiæ summi Judicis , hoc *Fortunæ* vindici ex Dei decreto tribuunt Vellejus & Florus, ex eodem scelere non impunitos evasisse scribentes, & quidem succinctè Florus : *Stetit pro partibus invicta fortuna & Vltoris , & qui vindicabatur* , ubi Dn. Boec-

lib.48. p.407.

Boeclerus commentatur: *Quod* de fortunâ utriusque partis *adjicit, rectissimè facit; quanquam vim sententiæ generalis plerumque non satis capiant gentiles, etiam qui usurpant.* Fortuna ultoris ergò *post eventum facile ita appellata à scriptoribus nobis notabit nunc illam destinationem Dei, qui Brutianas Cassianasque partes per Octavium ulcisci, imperium autem Romanum statuerat instaura e.* Fortuna ejus qui vindicabatur, *nihil aliud erit, quàm imminens parricidis ultio ob iniquissimam cædem I. Cæsaris, ex eâdem Dei destinatione, qui tantorum exempla scelerum nunquam impunita patitur. Nam huc*
2,72.p. 68. *redit, tanquam una vis duplicis formulæ.* Velleji verò sunt verba: *Hunc exitum M. Bruti partium* fortuna *esse voluit, corrupto animo ejus in diem, qui illi omnes virtutes unius temeritate facti abstulit.* Nec alibi aliud judicium Velleji, admiratione prosequentis divinam vindictam, & dicentis. *Iustissimas optimè de se merito Viro Cajo Cæ-*
2.64. p.63. *sari pœnas dedit, cujus, cùm primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit, & fortunæ, ex quâ fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat, censebatque æquum, quæ acceperat à Cæsare, retinere, Cæsarem, qui illa dederat, perisse.* Si de fortunâ placet loqui, Fortuna hunc citò deserit, illum excipit diutius. Vix Bruto & Cassio se o-
Vellej.2. 70.p.66. stenderat, & evanuerat, *non facile* quippe *reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut velut fatigata maturius destituerit, quàm Brutum & Cassium.* Fortuna Magnatum depingitur fragile bonum, in quo nihil firmi, nihil quod sibi perpetuò constet, nihil quod non suspectum sit, & maximè tum, ubi ad fastigium summum pervenit. Fortuna volubilis errat cum Bruto & Cassio ad tragicum præcipitium. De vindictâ in bello Philippico per arma *Augusti*
3.Fast.p. 91. Ovidius etiam audiendus:

At quicunque nefas ausi prohibente Deorum
Numine, polluerant pontificale caput,
Morte jacent merita; testes estote Philippi,
Et quorum sparsis ossibus albet humus.
Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa *fuerunt*
Cæsaris, *ulcisci justa per arma Patrem.*

Magnitudine infortunii expavida *Bruti* uxor Portia, cognoscens apud Philippos victum & interemtum maritum, *quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitavit, muliebri spiritu,*

ritu, dicente Valerio, *virilem Patris* (Catonis) *exitum morata*. Virilis uxor Virum desperantem egregiè pudefacit, quæ palmam Viro eripit, quamvis & illa malè de studio vitæ decesserit. Mortuo *Bruto* exercitus signa ad victores *transtulit*, μετέστη, ait Dio, multi seipsos interfecerunt, multi τῷ Σέξτῳ προσέθεντο, *Sexto se Pompejo conjunxerunt*. Sic vitæ humanæ stadium anceps est, nec à carcere æquabili cursu ad metam tendit, Varrone olim dicente apud Nonium, emendante Fruterio: 4. Ex. 6. p. 172. lib. 47. p. 406. 2. Veris. 2. p. 61.

Neminis fortuna currum à carcere emissum intimo
Læve, inoffensum, per æquor candidum ad calcem tulit.

Hoc in studio audivimus Cassium & Brutum libertatis vindices fortiores quàm feliciores fuisse; nec frustra creditū libertatem cum Bruto & Cassio quasi fuisse sepultam, & in iis excidisse gloriam liberi populi. Extiterat scriptor, qui hinc *ultimos Romanorum* elogio supremo non impune dixerat sub Tiberio, de quo Suetonius in vitâ ejus Cæsaris: *Objectum est* Poetæ, *quod in Tragœdiâ* Agamemnonem *probris lacessisset. Objectum &* Historico, *quod Brutum Cassiumque* ultimos Romanorum *dixisset. Animadversum est statim in auctores, scriptaque abolita, quamvis probarentur aliquot ante annos, etiam Augusto audiente, recitata.* Ipse *Brutus* suum Cassium ἔσχατον ἄνδρα Ῥωμαίων, *Romanorum ultimum* dixerat, notante Plutarcho; idque in *Annalibus* suo judicio probaverat repereratque Cremutius Cordus, teste Tacito; eoque allusum à Dione, scribente: Τί γὰρ ἄν τις ἄλλο περὶ αὐτῶν ἀμφοτέρωθεν μαχεσαμένων εἴποι, ἢ ὅτι Ῥωμαῖοι μὲν ἐνικήθησαν, Καῖσαρ δὲ ἐκράτησεν. *Quid enim aliud quis de utriusque partis certamine dixerit, quàm succubuisse* Romanos, *vicisse Cæsarem*? Plebs id libenter audiit magno consensu credens, etiam diu post peractam rem, *mansuram fuisse sub Pompejo Brutoque Rempublicam*; sed plebis hæc, non prudentum, fuit sententia; *Pompejus* enim tam Monarchiæ inhiabat, quàm quis alius. *Brutus* celare poterat magis animum, potentiæ majoris cupidum. c. 61. p. 208. Brut. p. 1005. 4. 34. 1; lib. 47 p. 399.

Quàm malè qui fallit, qui seque suosque fefellit.

Prodidagmata bellorum non negligere solent Historici, qualia sunt *Somnia* & *Prodigia*. Prodigia ante bellum hoc Philippicum notat Florus his verbis: *Nec tum imminentia cladis destinata signa latuêre; nam & assueta cadaverum pabulo volucres castra quasi jam sua* num. 7. 8. p. 364.

sua circumvolabant; & in aciem prodeuntibus obvius Æthiops *nimis apertè ferale signum fuit. Ipsique* Bruto *per noctem atra quædam imago se obtulit, & quæ* esset *interrogata;* Tuus, *inquit,* malus Genius. *Hoc dixit, & sub oculis mirantis evanuit.* Diligenter de his signis Dio lib.47.p.400,401 agit; ibidemque *Medici Cæsaris somnium* addit, quod salutem Cæsari attulit, & quod ipsum à Cæsare relatum fuisse ἐν τοῖς Ὑπομνήμασιν, *in Commentariis suis*, notat Appia-
4.B.C.p. nus; Medicique sui somnium extitisse verissimum expertus est O-
653. ctavius ab eventu & reipsâ, ut deinceps neque sua, neque aliena de sese somnia negligere animadversus sit, perhibente Suetonio,
c.91.p. cujus verba: *Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernacu-*
144. *lo propter valetudinem; egressus est tamen* amici somnio *monitus, cessitque res prosperè, quando captis castris lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est.* Obversatam fuisse Minervæ imaginem Medico cubiculario per somnium ajunt, & monuisse eum, ut consilium mutaret sui Principis de prælio in aliud tempus differendo. Id notatum Lactantio 2.div.instit.7.p.92. *Illud quoque somnium non minoris fuit admirationis, quo Cæsar Augustus dicitur esse servatus; nam cum bello civili Brutiano, implicitus gravi morbo, abstinere prælio statuisset, Medico ejus Artorio Minervæ species obversata est, monens, ne* propter corporis imbecillitatem *castris se contineret Cæsar. Itaque in aciem lectica perlatus est, & eodem die à Bruto castra capta sunt.* Mirum est, quod de specie Cæsaris
1.18,8. Julii, Cassio oblatâ, Valerius memorat, *humano habitu augustiori,*
p.41. *cum purpureo paludamento, minaci vultu, & concitato equo in se impetum faciente*, quâ aspecta tergum hosti dederit. De *Bruti Genio*
1.1.Adag. *malo* ex Plutarcho agit Erasmus. Relinquamus *Genium malum*,
72.p.49. non contemnamus. Relinquamus *Somnia*, tam nihili rem, non tamen de nihilo. Desinamus, ne bellum desinat in Somnium, pausamque faciamus belli, ne somnium nos fallat.

10. *B*ellum Perusinum concitat in Italiâ L. Antonius, M. Antonii Frater, occasione sumtâ ex divisione agrorum, quos veteranis militibus

bus Octavius ex pactione distribuebat, & in eos militares colonias deducebat. L. Antonius tandem Perusiæ inclusus fameque coactus in deditionem accipitur.

UT in maximis pulcherrimisque rebus aggrediendis magnæ objiciuntur difficultates; ita Augusto magna bella prius objecta, quàm scopum adeptus esset. Primam scintillam fomiti subjecerant Brutus & Cassius, quo conflagraret domus Julii; & illis Conspiratoribus & Incendiariis sublatis nondum flamma resederat, sed facem Belli Philippensis excipiebat *Bellum Perusinum*, cujus summam sive stricturam dedêre Florus & Suetonius, descriptionem verò plenam Dio & Appianus; Florus quidem strictim lib. 4. c. 5. p. 359; Suetonius in Augusto cap. XIV & XV p. 76, 77. Nomen bello dedit urbs Hetruriæ *Perusia*, in quâ conclusus L. Antonius, fax hujus belli, ad deditionem tandem fame cogebatur. Sic enim Suetonius initio capitis: *L. Antonium, fiduciâ Consulatûs quem gerebat ac fraternæ potentiæ, res novas molientem confugere* Perusiam *coegit, & ad deditionem fame compulit, non sine magnis suis & ante bellum & in bello discriminibus.* Florus verò fine capitis: *Totius Senatûs suffragiis judicatum hostem Cæsar aggressus* intra Perusiæ muros *redegit, compulitque ad extrema deditionis, turpi & nihil non experta fame.* Bellum illud Perusinum sub exitum anni DCCXIII conflatum, mox ineunte anno sequente fuit confectum, nam in obsidionis tempus inciderunt Calendæ anni 714, referente Appiano. Occasionem *5. Civil. p. 590.* bello dedit *Agrorum divisio*, finito quippe bello Philippensi agri distribuebantur in præmium militibus, & ut majori fide posthac mererentur stipendia; quum verò L. Antonius, M. Antonii Frater, instigante potissimùm Fulviâ M. Antonii Conjuge, litem moveret in sorte militibus dandâ, discordia ea in bellum erupit. *Alterum bellum*, Florus initio ait, *concitavit agrorum divisio, quos Cæsar Veteranis in castris, pretium militiæ, persolvebat.* Incentor belli Lucius Antonius, M. Antonii Frater, aut potius uxor M. Antonii Fulvia, *4. 5. p. 359.* nam Florus: *Semper aliâs Antonii pessimum ingenium Fulvia gladio*

cincta virilis militiæ uxor agitabat. Ergò depulsos agris Colonos incitando, iterum in arma ierat. Lucius videri volebat arma suscepisse *pro Reipublicæ libertate*, ut recuperatione status antiqui Roma flori
c.56 p. suo redderetur, quo fine in Oratione ad Cæsarem, quam Appia-
696. nus retulit, urget restitutionem τῆς ἀριστοκρατίας, per Triumviratum tunc fractæ. Formæ quoque priscæ liberæque (πατρίου πολιτείας) restaurationem prætendebat Oratione ad Milites habitâ a-
p.692. pud Appianum. Alias autem causas sibi imputari ægrè tulit, ad Cæ-
p.696. sarem perorans: Αἱ μὲν αἰτίαι, δι᾽ ἃς ἐπολέμησα, αὗται μόναι. καὶ οὔτε ὁ ἀδελφὸς, οὔτε Μάνιος, οὔτε Φουλβία, οὔτε ἡ κληρουχία τῶν ἐν Φιλίπποις πεπολεμηκότων, οὔτε ἔλεος τῶν γεωργῶν τὰ κτήματα ἀφαιρουμένων. *Hæ solæ sunt armorum meorum causæ; non autem vel* Frater, *vel* Manius, *vel* Fulvia, *vel* divisio agrorum *militibus belli Philippensis victoribus factæ, vel* miseratio veterum Colonorum, *qui suis depulsi agris sunt.* Judicandum verò cum Dn. *B*oeclero, has ipsas hâc serie connexas
ad Flor. causas, quas negat esse causas, omnino esse, quamvis à se velit re-
4.5.th. movere. Præfiniebatur bello *Libertas populi* à Lucio, qui ipse co-
12. ram Octavio in hanc rem speciosè perorat, cùm in colloquium unà descendunt, idque describit copiosè Appianus 5. Civil. *B*. p. 695, 696, 697, 702. *C*onciliatrix hujus belli fuit rixosa Fulvia, quæ, quò volebat pertrahere Maritum M. Antonium, maritique Fratrem Lucium, poterat, maleque quieta mulier furiis acta dissidia fovebat inter Antonios & Octavium, non verita gladium gerere, militiæ munera obire, concionari apud exercitum, turbas movere domi forisque, quâ demum mortuâ in gratiam redierunt Antonius & Octavius, utque amicitia firmior esset, Octaviam sororem suam *A*ugustus Antonio uxorem dedit, belli societate contra Sextum Pompejum initâ. Illa Fulvia erat prima Antonii uxor, Clodii plebis concitatoris vidua, οὐ ταλασίαν, οὐδὲ οἰκουρίαν φρονοῦν γύναιον, οὐδὲ ἀνδρὸς ἰδιώτου κρατεῖν ἀξιοῦν, ἀλλὰ ἄρχοντος ἄρχειν, καὶ στρατηγοῦντος στρατηγεῖν βουλόμενον, *mulier non ad lanificium, aut ad rei familiaris administrationem facta, neque in Virum contenta dominari privatum, sed quæ imperanti imperare, & Ducem volebat ducere*, ut Plutar-
in Anton. chus ait. Ingenio ejusmodi militari ferox & inquieta Fulvia ausa
p.920. fuit Rempublicam gerere, militari munere atque imperatorio fungi, motusque in Italia excitare. Dio lib. 48. p. 409: ἡ Φουλουΐα, τοῦ

Ἀντωνίου

Ἀντωνίου γυνὴ οὖσα, τόν τε Λέπιδον ὑπὸ νωθείας παρ' οὐδὲν ἦγε, καὶ αὐτὴ τὰ πράγματα διεχείριζεν, ὥστε, μήτε τὴν Βουλὴν, μήτε τὸν δῆμον, ἄλλο τι παρὰ τὸ ἐκείνῃ δοκοῦν χρηματίζειν. *Fulvia, M. Antonii uxor, Lepido propter ignaviam contemto ipsa Rempublicam administravit; ita ut neque Senatus neque Populus quicquam præter ejus sententiam statueret.* Et Vellejus: *Uxor Antonii Fulvia, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuque miscebat.* Virilis prorsus animi 2.74.p.
fæmina Viri instar gladium ad latus gestabat, aliaque agebat, quæ 69:
Ducis erant bellici, unde cum Prænestinis agens πάντα μετ' αὐτῶν ἐβουλεύετο, καὶ τὰς παραγγέλσεις ὡς ἑκασταχόσε ἐχρῆν, ἔπεμπε. καὶ τί ταῦτα θαυμάσειεν ἄν τις, ὁπότε καὶ ξίφος παρεζώννυτο, καὶ συνθήματα τοῖς στρατιώταις ἐδίδου, *omnia cum iis consilia inibat, identidemque Edicta, ut ex usu videbatur, proponebat. Id quidem mirandum adeò non est, quum ipsa* gladio *etiam* se accinxerit, *tesseramque militibus dederit.* Mali ingenii mulier non præterita Orosio, qui de eâ scribit: *Fulvia,* uxor *Antonii, socrus Cæsaris, dominatum ut mulier agitabat; incertum in hâc mutatione consularis regiique fastigii, utrum* deficientis potentiæ ultima, *an* incipientis prima *nominanda, certè etiam in eos insolens, per quos ut insolesceret, agebatur.* Martiali ingenio præditam Florus testatur, quæ etiam *gladio virilis militiæ cincta* gladium stringit ipsum in Octavium, qui ipse Epigrammate, quod suorum uni includit Martialis, uni Fulviæ belli hujus causam tribuit, atque ob obscœnitatem meritò præterimus, quâ & Antonius & Fulvia malè audiunt. Erat tum Antonius amoribus Cleopatræ in Ægypto occupatus, quumque Fulvia maritum Antonium istis amoribus teneri intelligeret, ausa est unà cum mariti fratre L. Antonio ipsi sese C. Octavio opponere, ut hâc ratione maritum à Cleopatra abstraheret, & in Italiam venire compelleret; verùm re ad Perusiam malè gestâ cùm Fulvia ad maritum navigans Sicyone ex morbo decessisset, ut arctiore deinceps vinculo Antonius & Octavius conjungerentur, Octavii soror nuptui data fuit Antonio, quæ prius in C. Marcelli matrimonio fuerat. Verùm hanc paulò post repudiavit Antonius, cùm Cleopatræ amorem deponere non posset, indeque belli inter Antonium & Octavium causis nonnihil accessit, ut suo loco describetur. Describitur præsens bellum, tanquam μέγιστος ἀγὼν, *maxima pugna,* à Dione lib. 47. p. 399;

Marginal notes: Dio lib. 48. p. 414. — 6.18. p. 526. — lib. 11. 21. Epig.

4.B.C. minimè tamen comparandum illis bellis, quæ præcesserant, teste
fin.p. Appiano. Cum Muliere res erat, & cum Lucio, qui Marco fratri
670. similis in vitiis; nam de eo ait Vellejus, *vitiorum fratris consortem*
2,74,p. fuisse, sed *virtutum, quæ interdum in illo erant, expertem*. Iste *totius*
69. *Senatûs suffragiis* judicatus *Hostis*, mox compulsus fuerat intra mu-
Flor.nu. ros Perusinos, sibi fatales. Perusia sive Perusium (nam utrumque
3.p.359. scribitur) urbs Tuscorum antiquissima, hodieque nota immutato
lib.10.p. nomine *Perugia*, validissima Livio dicta, ubi inter tria Etruriæ ca-
206. pita recenset mediam inter Volsinios & Arretium, quæque *A*p-
lib.5 p. piano recensetur inter XII principes Etruriæ urbes. χωρίον τῇ φύσει
699. καρτερόν, *Locus naturâ munitus*, ait Dio. Obsessus in oppido Peru-
lib. 48.p. siâ L. Antonius fame compellitur in deditionem Urbis, urbe post-
417. modum diruta, juxta Livium & Florum; sive *incensâ*, quod Appia-
lib.5.p. nus tradit, Cestium enim quendam, cognomine *Macedonicum*,
699. cæteris insolentiorem ait ædes suas injecto igne cremavisse, tum-
p.417. que ventorum subitò exortâ vi flammis evagantibus urbem defla-
grasse totam χωρὶς τοῦ ἡφαιστείου μόνου, *præter Vulcani templum*; con-
sentienteque Dione: ἡ πόλις, πλὴν τοῦ ἡφαιστείου, πᾶσα κατεκαύθη. *Urbs
tota combusta, fanô solùm Vulcani servato*. Urbs tamen postmo-
dum post eam calamitatem à Cæsate instaurata & communita acce-
pit *Perusiæ Augustæ* cognomen, sicuti in portâ extitit Inscriptio:
2. Ital. *Augusta Perusia*; notante Cluverio. De incensione Vellejus p.
ant.3.p. 70. *Vrbs incensa, cujus initium incendii Princeps ejus loci fecit* Ma-
578. cedonicus, *qui subjecto rebus ac penatibus suis igni transfixum se
gladio flammæ intulit*. Junguntur Lucano lib. I. v. 41.

Perusina fames Mutinæque labores.

Post receptam Urbem in Perusinum Senatum, excepto L. Æmilio,
sævitum scribit *A*ppianus. *In plurimos*, ait Suetonius, *animadver-*
5.Civ.p. *tit; orare veniam vel excusare se conantibus, una voce occurrens*, Mo-
699. riendum esse. *Scribunt quidam, trecentos ex deditiis electos, utrius-*
p.77. *que ordinis, ad aram Divo Iulio extructam, Idibus Martiis hostiarum
more mactatos*. Quadringentos Equites Senatoresque ad aram Ju-
l.48.p. lio Cæsari sacratam mactatos numero auctiori retulit Dio. Victo
417. apud Perusiam L. *A*ntonio Cæsar & *A*ntonius novâ pactione im-
lib.48.p. perium & operas inter se partiti convenerant, ut Cæsar *adversus S.*
408. *Pompejum* gereret bellum, Dione teste, adversus Parthos Antonius.

II. Bello

11. Bello difficili ac periculoso *Sextum Pompeium* profligat, qui septimum jam annum Siciliam & Sardiniam classibus tenuerat, annonæ subvectionibus & commerciis impeditis; cumque in Asiam fugisset, Mileti à Titio, Antonii *Duce*, interficitur.

Duces & auctores cædis Julianæ Brutus & Cassius contenderant frustra armis vindicare Libertatem, quam prætendebant licentiæ, qui non solùm, sed & participes, pœnis destinabantur, nisi se à communione separarent; quisquis autem se non separabat, pœnas statim pro communione solvebat. Exemplo nunc id ostenditur *Sexti Pompeji*, qui se sectæ Brutô-Cassianæ miscuerat infelici temeritate, seque obnoxium fecerat & culpæ & pœnæ. Ille Pompejus, Cneji Filius, postquam se *in proscriptorum numerum* relatum comperit, *conversus in latrocinia omnem oram Italiæ cædibus rapinisque vastavit. Sicilia prærepta, commeatibusque impeditis, Romam fame affecit.* Commiserat Senatus Sexto Siciliam cum rerum maritimarum arbitrio, ubi Proscriptos excepit vario auxilii & spei modo, Dione narrante, quippe qui Siciliæ tum *Dominus* Classisque Præfectus, duplum mercedis, quæ erat occisoribus promissa, ei qui aliquem proscriptorum saluti asseruisset, constituit, atque proscriptis ὑποδοχὴν καὶ ἐπικουρίαν καὶ χρήματα, καὶ τιμάς, *auxilium, pecuniam & honores*, promisit; ita ut asylum fuerit omnium, qui vellent ad eum confugere; ex quorum confluxu potentia crevit maximè, ut putârint multi, Italia dissensionibus & famè vexatâ, potiturum fuisse, nisi maluisset tum sua defendere, notante Appiano. Hostiles Pompeji motus diu sustinuit Octavius, nec tam facile amovit, quàm cæteros, expeditio enim illa moram habuit, & in longum protulit illud bellum, quod vocabatur *Siculum*, ab anno sc. Urbis 710 ad 718 per septennium circiter. Summam complexus est Suetonius succinctè his verbis: *Bellum Siculum inchoavit in primis, sed diu traxit; intermissum sæpius, modò reparandarum classium causâ, quas* tempestatibus *duplici naufragio, & quidem per æstatem, ami-*

Oros. 6. 18. p. 526.

lib. 47. p. 380.

5. p. 685.

c. 16. p. 77.

amiserat; modò pace factâ; (anno 715.) *flagitante populo, ob interclu-*
sos commeatus (ex Siciliâ detentâ) *famemque ingravescentem, donec*
navibus ex integro fabricatis, ac xx *servorum millibus manumissis,*
& ad remum datis, portum Julium apud Bajas, immisso in Lucrinum
& Avernum lacum mari, effecit; in quo cùm hieme tota copias exer-
cuisset, Pompejum inter Mylas & Naulochum *superavit, sub horam*
pugnæ tam arcto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab a-
micis excitaretur. Anceps bellum fuit, suis calamitatibus & pericu-
lis variè intermixtum, sicut id copiosius à Dione lib. 48. p. 439 us-
que ad finem, & l. 49 p. 447 usque ad p. 460 itemq; Appiano Ci-
vilium quinto pag. 716. seqq. exhibetur. Favere videbatur mare
Pompejo, Cæsari esse infestum, cumque primùm prosperam habe-
ret fortunam maris Pompejus, ἐχαυνώθη, *superbia inflatus fuit*, adeò
ut benigniore fortunâ abutens *Neptuni Filius* haberi voluerit, Dio-
ne lib. 48 p. 442, & Appiano d. lib. p. 729 testibus, quibus etiam
successibus elatus, quod iidem memorant, mutabat paludamen-
tum, cœruleumque, colore Neptuno gratiorem, sumsit pro puni-
ceo, tanquam qui nunc adoptatus esset à Neptuno; quin & religio-
nis nomine Neptuno Patri ἵππους καὶ ἄνδρας ἐς τὸν πορθμὸν ζῶντας
ἐνέβαλε, *equos, &* quod longè immanius, *viros vivos* (tanquam ho-
stias acceptas) *freto injecit.* Equus, victima Neptuni, placandis
[*in l. 15. p.*] amnibus adhibita, notante ad Strabonem Casaubono. Inter initia
[*209.*] infeliciter congreditur Octavius, quippe apud Cumas Calvisius
[*Dio l. 48.*] cum Menecrate navali prælio sinistrè pugnat; moxque duplici
[*p. 440.*] tempestate cladem passa fuit Classis, negligente occasionem agen-
[*5. p. 724.*] di Pompejo, cujus vitia & errores notat Appianus. Cæsar tunc in
magnis angustiis ab incepto non destitit, sed operâ & solertiâ Vip-
sanii Agrippæ, quem à *virtute nobilissima, labore & vigilia* commen-
[*2. 79. p.*] dat Vellejus, in Averno ac Lucrino lacu *speciosissimam classem* fa-
[*72.*] bricat, solicito & ob crebras hostium incursiones anxio Octavio,
[*Dio p.*] *viginti* etiam *servorum millibus manumissis, & ad remum datis,*
[*442.*] Suetonio numerante, in supplementum remigum; deque servis ad
[*ad Ac-*] remum datis in discrimine belli Punici & Macedonici apud Roma-
[*colt. lib. 4.*] nos legendus Dempsterus. Diverticula sua habuit atque intervalla
[*p. 255,*] hoc bellum, cumque graviore pondere incumberet Octavio, is ut
[*256.*] relevaret se, serviretque tempori ob plebis, famem patientis, quere-
las,

las, Pacem cum Pompejo iniit, quæ non diu durabat, diciturque
Pax Misena, quæ dubia erat, & ubi ipse Octavius neque Anto-
nio, neq; Lepido fide re poterat, adeò, quod hic ait Dio, in seditio-
nibus & bellis omnia *præter rationem* eveniunt, ubi non *jure*, sed *lib.* 48. *p.*
utilitate ac necessitate sua quisque agit, indeque metiuntur τό, τε φί- 427.
λιον καὶ τὸ πολέμιον, *amicitiæ atque hostilitatis rationem.* De pace au-
tem compositâ legendus Dio lib. 48. p. 432, 433, 434, & quo animo
quibusque artibus ac consiliis coiverit, explicavit Cl. Boeclerus ad
Tacitum; diremtaque mox subdola pace prætextus non deerant 1. *A.* 10.
redeundi ad bellum, quos notant Dio lib. 48 p. 439; Appianus lib. *p.* 191.
5. p. 716. Gaudium itaque illud, quod ob pacem fuerat exortum, 193, *seqq.*
Dione notante, mox dissolutum fuerat, quia *malè sarta gratia ne-* *pag.* 433.
quicquam coit, & rescinditur, quod ait Horatius; maleque conjun- 1. *Ep.* 3. *v.*
cta gratia non durat in conjunctione. Rerum summam quia Ca- 31.
saubonus ex Historicis collegit, annis singulis annotatis, progre- *in Aug. p.*
diemur ad belli finem, quo vitam finivit, quâque *mole belli*, Floro 141, 142.
dicente, *penitus in Siculo freto juvenis oppressus est; perditis enim re-* 4. 8. *p.*
bus profugit, Asiamque velis petit, venturus ibi in manus hostium, & 368.
catenas, quod miserrimum est fortibus Viris, ad hostium arbitrium
sub percussore moriturus. Ultimo anno belli navalibus præliis duo-
bus superatus fuit Pompejus, altero apud Mylas; altero ad Arte-
misium, ubi Naulochum Messanorum Casaubonus intelligit. In
prælio navali ad Mylas inter Agrippam & Democharem, post va- *pag.* 142.
riam pugnam ὀψὲ καὶ πρὸς νύκτα ἤδη οἱ τοῦ Καίσαρος ἐκράτησαν, *serò &* *Dio lib.*
jam instante nocte Cæsareani extiterunt victores; destiterat tamen A- 49. *p.*
grippa Pompejanos persequi, vel quia non posset, vadorum impe- 450.
ritus, quod Dioni placet, vel, quod alii putabant, Cæsaris causâ, ut
illi majorum rerum gloriam reservaret. Cum Dione facit Appianus, *pag.* 733.
qui scribit ex consilio Nauclerorum & Amicorum visum fuisse id
commodum, hostem ne persequeretur, neque enim fidendum esse
vadosis locis. Pompejani vero ἐς τοὺς λιμένας παρέπλεον, τριάκοντα μὲν
τῶν σφετέρων νεῶν ἀποβαλόντες, πέντε δὲ καταδύσαντες τῶν πολεμίων,
portus suos petierunt amissis triginta navibus, submersis quinque hosti-
libus. Hic fuit eventus navalis circa Mylas pugnæ; quam excepit
nova Cæsareanæ classis apud Tauromenium clades, de quâ legendus
Appianus p. 734. seqq. Insigne erat in ea pugna inventum manus

lib.5.p. ferreæ, commento Marci Agrippæ, de quo Appianus legendus. 739. Difficilis verò lucta fuit ab orto Sole in horam diei nonam, variante fortunâ, donec Agrippa suos quasi jam victores, animadversa hostilium navium jactura, cohortaretur, extremoque impetu ho-
5.p.741. stem vinceret. Κατέδυσαν, scribit Appianus, ἐν τῷ πόνῳ νῆες, Καίσαρος μὲν τρεῖς, Πομπηΐου δὲ ὀκτὼ καὶ εἴκοσι, καὶ αἱ λοιπαὶ κατεφλέχθησαν ἢ ἐλήφθησαν, ἢ ἐς τὴν γῆν ὀκέλλουσαι συνετρίβησαν, αἱ δὲ ἑπτακαίδεκα μόναι διέφυγον. *Mersæ su teo in prælio naves Cæsaris tres, Pompeji* XXVIII; *ceteræ aut crematæ, aut captæ, aut littori allisæ fractæque solæ septendecim fugâ evaserunt.* Auget infortunium comparata Xerxis historia Florus, dum concludit bellum: *Non alia post Xerxem miserabilior fuga; quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus, cum sex septemve fugiebat, extincto Prætoriæ navis lumine, annulis in mare abjectis, pavens atque respectans, & tamen non timens, ne periret.* De classe Pompeji, in mari Siculo devicta, Seneca Octavia v.507.

Hausit & Siculum mare
Classes, virosque sæpe cædentes suos.

In Pompeji exercitu erat varii animi DUX *Menas*, Libertus, *quem plurimi faciebat*, ὧ πάνυ προσέκειτο, ait Dio, sed homo is erat perfi-
lib.48.p. 428. diæ impudentis, & in Marte instar Martis ἀλλοπρόσαλλος, nam à Pompejo ad Cæsarem perfugit, atque ab eo valde honoratur, teste Dione pag.439 à Cæsare rursus ad Pompejum redit pag.446, inde ad Cæsarem perfugit lib.49. pag.448, quodque dici solet *proditionem amo, proditorem fugio*, id etiam Menæ accidit, nam, quod ait Dio, ὁ Μηνᾶς ὑπὸ τοῦ Σέξτου, πρὸς πάντα ὑπωπτεύετο, Καῖσαρ δὲ προσήκατο μὲν αὐτὸν καὶ τότε ἀσμενέστατα, οὐ μέντοι καὶ ἐπίστευσέ τι ἔτ' αὐτῷ, *Menam Sextus in omnibus negotiis suspectum habuit; Cæsar verò Menam denuo lubentissimè recepit, ita tamen, ut nullam ei deinceps haberet fidem.* Occisum tandem à Pannoniis fuisse Dio pag.473 attulit. Voltejus iste Menas, Libertus Sexti Pompeji, ex humili genere cùm ab Augusto ad tribunitiam potestatem eveheretur, superbiebat maximè, quem memorat Plinius unà cum aliis mancipiis, *è san-*
35.18.p. 499. *guine Quiritum & proscriptione licentiâ* ditatis. *Hoc est*, inquit, *insigne venalitiis gregibus opprobriumque insolentis fortunæ, quod & nos adeò potiri rerum vidimus, ut prætoria quoque ornamenta decerni à Senatu,*

Senatu, jubente Agrippina Claudii Cæsaris viderimus libertis. De Mena Venusinus Vates. *Horat. epod. od. 4. v. 7.*

Sectus flagellis hic triumviralibus
Praconis ad fastidium
Arat faterni mille fundi jugera &c.

In Siculo hoc bello magna subiit pericula Octavius, nec temere *plura ac majora ullo alio bello* adiisse testis Suetonius, qui pericula tria refert cap. 16 p. 78, ubi vix naviculâ elapsus; ad littus Rhegii *penè exceptus*, & in deviis tramitibus ferè interfectus esset. *Addenda* etiam pericula duo Victoris, unam *è contentione Lepidi*, quem præsenti animo fortique consilio castris & dignitate exuit; alterum *e seditione militum*, quam partim severitate, partim liberalitate sedavit, de quo Appianus lib. 5. p. 744, 745; Dio lib. 49. p. 455, 456; Vellejus 2. 80 & 81. p. 73, 74. Stupiditatis verò in Pompejo victo fuit, quod Antonii fidem primùm pro confugio eligit; sed qui compertâ infelici inter Parthos infelicitate mutat consilium, & cum Parthis agit, captus verò à Titio jussu *Antonii* jugulatur, quod præ aliis describit Appianus, atque in hoc casu Pompeji Bellorum Civilium libros finit. *5. p. 747 ad 753.* Victor verò gloriosus Octavius, ne amplius quid hostile metueretur, egregiis artificiis utebatur, literas belli tempore scriptas exurit, narrante Appiano, Siciliam latrociniis agitatam liberavit, ancipiti fortunâ territum populum Rom. solatur, Orationes publicè habitas vulgat, libertatis & Reipublicæ spem, sed ad speciem, facit, cum pace amicitiam & omnia, quæ ad profectum Reipublicæ abrogato Triumviratu essent, pollicetur, quæ oratio, quàm multis grata fuerit, ipse non nescivit; sed quæ erat ad inescandos homines; longè enim alia, Dn. Boeclero censente, animo agitabat, *novis bellis & invadendæ dominationi jam jam causas & vias moliens, quippe qui satis intelligeret, extinctâ jam Pompeji domo novum sibi ad obtinendam singularem potentiam gradum structum* esse. *5. p. 745, 746, 747.* *ad Fl. th. 10.* Fugato occisoque Pompejo comperit Augustus *M. Lepidum* occulta cum Pompejo pacta fecisse; unde victoris fuit victoriam prosequi, & extinguere Lepidi ignes, quos dolosis cineribus supposuerat; statim itaque Lepidum castris & dignitate exuit; unde Triumviratus divulsus. Dio ait lib. 49. p. 453: Πρὸς τὸν Σέξστον ἀπέκλινε, καὶ ἐκοινολογεῖτο αὐτῷ δι᾽ ἀποῤῥήτων. *Ad Sextum Pompejum inclina-*

clinavit, ac occulte cum eo consilia agitavit. Vixerat hactenus cum Lepido conjunctus Collega communicatione fortunarum Octavius, sed cùm ille consiliis diversis uteretur, & in uno se hæreret, nolens amplius cum Octavio habere vel prospera, vel improspera, belli etiam Siculi incommodis, quæ exercuerant Collegam, alienior factus, inde cautior redditur Augustus *post Pompeji fugam*
16. p.79. (sunt verba Suetonii) *Collegarum alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium evocarat, superbientem* xx *legionum fiducia* summasque sibi partes *terrore ac minis vindicantem spoliavit exercitu,* supplicemque *concessa vita Circejos in perpetuum relegavit.* Sueto-
2,80.p. nio addimus Vellejum, scribentem: *Vita rerumque suarum domi-*
74. *nium concessa ei sunt; spoliata, quam tueri non poterat dignitas.* Et Orosium 6,18.p.528, qui cùm Suetonii verba nonnulla imitatus fuis-
p.529. set, addit: *Lepidus tandem intelligens, quo vanitas sua tenderet, deposito paludamento assumtaque veste pulla supplex Cæsari factus vitam & bona impetravit, perpetuo quidem emendatus exilio.* De eo exitu Dio lib.49.p.456. Ἠναγκάσθη ἐθελοντὴς ἐν ἐσθῆτι φαιᾷ ἱκέτης αὐτοῦ γενέσθαι, καὶ ὁ μὲν ἐκ τούτου τῆς τε ἐξουσίας πάσης παρελύθη. *Coactus fuit supplex pullo vestitu Cæsarem adire, atque exinde ei Principatus omnis ademtus fuit.* Quo erat Cæsar animo mitiori, Lepido quidem erat ob perfidiam infensus, venienti tamen assurrexit, (ὑπανέστη) καὶ
Appian. προσπεσεῖν ἐθέλοντα ἐκώλυσε, *non passus accidere sibi ad genua,* quem
5.Civ.p. Romam misit, ut ibi degeret privatus, permisso etiam Pontificatu,
743. quem gerebat. ἰδιωτεύων διεβίωσε, *Privatus vitam exegit,* ait, mirâ fortunæ mutatione. Vindicta quadam abreptus Triumviri Lepidi Filius M. Lepidus insidias postea struebat Augusto, quas mira dex-
2,88.n.1. teritate supprimebat C. Mæcenas, docente Vellejo, *speculatus per*
2.3. *summam quietem ac dissimulationem præcipitis consilia juvenis, & mira celeritate, nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum, oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium; & ille quidem malè consultorum pænas exsolvit.* Paucis Suetonius c.19.p.81. *Tumultus post* hæc, (Actiacæ victoriæ meminerat, ut & captæ Alexandriæ) *ac etiam rerum novarum initia, conjurationesque complures, prius quàm invalescerent, indicio detectas compressit, & alias alio tempore* Lepidi juvenis, *deinde Varronis Murenæ* &c.

Addit

Addit alios Seneca: *Salvidienum* Lepidus *sequutus est*, *Lepidum* 1 de Clem.
Muræna, Murænam Cæpio, Cæpionem Egnatius, ut alios taceam. 9. p. 470.

Ecce novo Lepidi cernis procurrere fluctu
Navigium, atque malo vela tumere sinu!

Urbes aliquot bello hoc Siculo vexatas, & ab Octavio iterum re-
fectas notat Strabo. Exhaustâ civibus *Regio urbe* ob bellum, post lib. 6. p.
ejectum è Sicilia Pompejum λειπανδροῦσαν πόλιν, *civitatem viris ca-* 178.
rentem, facit εὐανδροῦσαν, *viris frequentem*, supplementum è classe
largitus, narrante Strabone. Idem Strabo lib. 6. p. 186. Ἐφ᾽ ἡμῶν Πομ-
πηΐου τάς τε ἄλλας κακώσαντος πόλεις, καὶ δὴ καὶ τὰς Συρακούσας, πέμ-
ψας ἀποικίαν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ, πολὺ μέρος τοῦ παλαιοῦ κτίσματος ἀνέ-
λαβε. *Nostrâ tempestate cum inter alias urbes Pompejus* Syracusas
quoque male tractasset, *missa colonia magnam veteris structuræ par-
tem restituit.* Postea p. 187. Ταύτην δὲ πόλιν ἀνέλαβεν ὁ Καῖσαρ, καὶ τὴν
Κατάνην, ὡς δ᾽ αὔτως Κεντόριπα συμβαλλομένην πολλὰ πρὸς τὴν Πομπηΐου
κατάλυσιν. *Hanc ergo urbem Cæsar instauravit, & Catanam, & Cen-
toripa, quæ ad Pompejum debellandum ei multum tulit adjumenti.*
De Centuripis, hodie *Centorbe*, videndus Cluverius 2. Sicil. 6. p. 308,
309, 310. Siculo hoc bello victor Octavius *ovans* urbem ingressus
fuit, notante Suetonio & Orosio. *Ovantem* autem *ingredi*, est idem c. 22. p.
ac minori triumpho, qui *Ovatio* ob sacrificium de ovibus teste 84.
Servio dicebatur, introire. Ovatio minoris erat tum pompæ, tum 6. 28. p.
existimationis, quàm *triumphus*, quod discrimen multis tradit La- 529.
zius. *Bis ovans* Cæsar *ingressus est urbem; post Philippense, & rursus* ad Virg.
post Siculum bellum, ait Suetonius. De duplici hâc Augusti ovatio- Æn. 4.
ne legi potest Scaliger Animadv. ad Eusebium p. 151. Moris aliâs v. 543.
non erat *ovare* aut *triumphare* in civilibus bellis, quamvis enim 9. Reip.
quis *præclaras res*, notante Valerio, *maximeque utiles* civili bello Rom. 3. p.
gessisset, Imperator *tamen eo nomine appellatus non est*, *nec ullæ* suppli- 761. seqq.
cationes *decretæ sunt*, *neque aut* ovans, *aut* curru triumphavit, *quia* 2. 8. 7.
ut necessariæ istæ, ita lugubres *semper existimatæ* victoriæ *sunt*, *utpo-* p. 83.
te non externo, *sed domestico partæ cruore.* Morte potentis Sexti
Pompeji lætus Antonius, Octavius, Senatus, plebs; sed ea lætitia
versa, cùm mox gravior incumberet urbi & Italiæ clades, quam de-
mum *oppresso M. Antonio* ad Actium extinxit Augustus; de quâ
jam bello Actiaco.

12. Bellum Antonio moliente Octavius in Epirum cum exercitu trajicit, & ad Actium, Epiri Promotorium, navali prælio Antonium superat. Inde Alexandriæ in Ægypto obsessus in ultimâ rerum desperatione suis sese manibus interemit. Cleopatra verò Regina Ægypti, ne in triumphum duceretur, admotis aspidibus vitam sibi adimit.

IN historiâ Bellorum civilium è Latinis Suetonius, Florus & Vellejus, non nisi rerum summam attigerunt; è Græcis duo, Dio & Appianus, explicatius agunt, è quibus hactenus quatuor bella potissimũ descripsimus; nunc addituri Bellum quod *Actiacum* dicitur. Quomodo Octavius contra Antonii æmuli minas & graves injurias adversâ virtute restiterit, ejusque fremitus ac perfidiam sustinuerit, aliquoties diximus; nunc demum cùm *A*ntonius convolvit, quidquid ardoris & flammæ in cupidine dominationis habet, succenditur & ipse Octavius, & eructantibus flammis bellum spirat, quo tanquam incendio absumitur & in exilium venit *A*ntonius. Concordia *A*ntonii & Octavii sine discordiâ esse non poterat, collidant enim necesse est, quorum ingenium, vis & ratio diversa est. Id antea diximus, & nunc est facilius intelligi, postquam demum collisi fuêre animis irreconciliabilibus, quo superare alterum, necesse erat. Ubi unusquisque per superbiam vult dominari, pax esse non potest. Sibiipsi discors, nemini concors Antonius, homo iræ & superbiæ & impatientiæ deditus, quæ tria omnem disturbare tranquillitatem poterant, non secus ac procellæ maris serenitatem. Ira subinde intercessit inter Antonium & Octavium, ast ex reconciliatione firmior inter eos amicitia posthac fieri non valuit. Quàm fuerit malè fulcita amicitia & societas, antea diximus, quæ tandem, quia infida erat, dissolvebatur commodo Augusti, imò Reipublicæ. Eleganter Suetonius: *M. Antonii societatem, semper du-*
c.17.p. 79. *biam & incertam, reconciliationibusque variis male focillatam* (fo-

cillare

cillare Nonio notatum, h.e. fovere, blando calore permulcere ac reficere, à *focus foculus*, non à *faux* cum Casaubono) *abrupit tandem*. Verè abrupit, idque cum indignatione & aversione; nec constans poterat esse, quæ malè coaluerat gratia; inter illos enim, quod habet Appianus, ἦν συνεχὴς ἡ μεταβολὴ πρός τε τὰς ὑπονοίας διὰ φιλαρχίαν, καὶ ἐς τὰς πίστεις ὑπὸ χρείας, *continua inter eos erat mutatio animorum, vel ad suspiciones ob regni cupiditatem, vel ad fidei consensum, quoties utilitas suaderet.* Ita illi *subinde relabebantur, & ad suspiciones mutuas ex regnandi cupiditate, & postulante necessitate ad fœdera nova*; prudenterque hic dictum à Dione: Ὅταν γάρ τινες ἐκ μεγάλης ἔχθρας συνενεχθῶσι, πολλὰ μὲν μηδὲν δεινὸν ἔχοντα, πολλὰ δὲ καὶ ἐκ συντυχίας λαμβάνοντες ὑποπτεῦσι. πᾶν γὰρ ἐνὶ λόγῳ ὡς καὶ ἐξεπιτηδὲς καὶ ἐπὶ κακῷ τινι γιγνόμενον, πρὸς τὸ ὑπάρξαν ἔχθος λαμβάνουσι. *Qui post vehementes inimicitias in gratiam redeunt, multa leviuscula ac temere accidentia in suspicionem rapiunt, atque in universum omnia tanquam consultò & malam in partem facta, ad conceptum antè odium apponunt.* Non magis Pompejus, C. Cæsaris gener, Antonius, Augusti sororius, *per concordiam cohærere sibi, quàm potest ferrum testæ misceri*, scitè scribit Rupertus Tuitensis. Uti *Pompejus* Julii Cæsaris potentiæ invidens bellum civile movet,

h.l.p.145. 5. Civil. p.726. lib.45. p.310. 6. de Victor. Verbi 20. f. 110. a.

nec quenquam jam ferre potest Cæsarve priorem
Pompejusque parem, quod Poeta ait

Sic & *Antonius*, omnia infra se cernens, unum *Augustum* juxta sese, nec hunc ferre volens parem, ipse se non extollit, sed tollit. Turbulentissimus est affectus *Ambitio*, præsertim in heroicis naturis, quæ αἰὲν ἀριστεύειν & *præcellere* cupiunt potentiâ & autoritate; inde æmulator Augusti factus succubuit, major futurus, si minor esse voluisset. Tres συῤῥάξεις sive dissensiones Antonii & Augusti notat Chronicon Eusebio-Hieronymianum, nam ad Olymp. 184 leguntur hæc verba: *Antonium superat Augustus, & interveniente Senatu in amicitiam cum eo regreditur.* Ad Olymp. 185. *Secunda secessio Augusti & Antonii.* Ad Olymp. 187. a. 2. *Augusti & Antonii* tertiæ dissensionis *exordium, quod repudiatâ sorore Cæsaris Cleopatram duxisset uxorem.* Coortâ tandem in tertiâ dissensione inimicitia capitali alter in alterum dixit causam, quæ capitalis sive præcipua non erat. Antonius Cæsarem criminabatur, quod Lepidum

fol. 67. 68.

Triumviratu exuisset; quod Lepidi & S. Pompeji exercitum, quem communem esse oportebat, solus occupasset. Octavius autem *Antonio* crimini dabat, quòd Ægyptum sine sorte obtineret; Sext. Pompejum, cui ignovisset, interemisset; Artavasdem, Regem Armeniæ, fraude circumventum, in vincula cum pop. Rom. ignominiâ conjecisset; vitio etiam vertebat Cleopatram pro uxore habitam in sororis suæ contumeliam, & liberos ex eâ susceptos Reges salutatos. Legantur *Dio* lib. 50 p. 493, 494, 496, 498; Plutarchus in Antonio pag. 941. Fide conjugali ejurata Antonius in Ægypto ducebat Cleopatram, desertâ C. Octavii sorore Octaviâ, usurpabatque sibi *Imperatoris* titulum, & obstitit Romanis, quamvis ipse Romanus, mutans mores patrios, *patriæ, nominis, togæ, fascium*

4. 11. 3. p. 378. *oblitus*, dicente Floro. Μετὰ τὴν Καίσαρος τελευτὴν, καὶ τὰ ἐν Φιλίπποις, διαβὰς Ἀντώνιος εἰς τὴν Ἀσίαν, ἐξετίμησεν ἐπιπλέον τὴν Κλεοπάτραν, ὥστε καὶ γυναῖκα ἔκρινε, καὶ ἐτεκνοποίησεν ἐξ αὐτῆς. *Post Cæsaris* (Julii) *mortem, & res ad Philippos gestas, Antonius in Asiam profectus Cleopatram summis honoribus complexus est, ut etiam acciperet in uxorem, & filios ex ea susciperet.* Cum eodem tempore Antonius Octaviam uxorem haberet & Cleopatram, subscriptum statuæ fuerat Athenis: ΟΚΤΑΒΙΑ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑ ΑΝΤΩΝΙΩΙ. *Octavia*

Strabo lib. 17. p. 548.

Suasor. 1. p. 4. *& Minerva Antonio. Res tuas tibi habe*, referente Seneca; despondcrant enim illi, tanquam *Bachico* Numini, Minervam, quumque carè constitisset illud conjugium, scommata in eum jacta, quasi repudium ei miserint, Cleopatram nimium amanti, Minerva & Octavia. Duxerat Octaviam, ast habebat alibi animum amori deditum. Ausus recusare eam, cujus Frater erat injurias ulturus. Cleopatra erat, quæ ab uxore abstraxerat stolidum Antonium. Quid restabat, nisi ut periret? id enim Octavius ferendum non putavit, qui statim bello navali Antonium compescuit, vicit, ad mortem adegit, mortuumque vidit. Flagrabat duplici cupiditate, *Regni & Reginæ Cleopatræ*, Antonius, & vana illa ambitio mutuusque ardor tandem totum alienat à consortio *Octavii*. Fax belli, Cleopatra, altera Fulvia, quâ lætabatur, velut novi solis exortu, Antonius, stabatque amore conterritus, quum aspiceret pulchram Helenam. Implicatum illa illum irretitumque tenebat. Veniat ante oculos nostros tanta Regina, ut intueamur splendorem Heroinæ, Heroas Julium

lium & Antonium vincentis, sed coram victore Octavio succumbentis. Quàm hoc putidum de istis Senibus, Julio & Antonio, dici scribique, à muliere Cleopatra tantos Orbis domitores domitos, eosque imperium dimisisse mulieri! Bellum sanè egregium Herois Julii cum imbelli Ægyptiâ, ubi, scribente Hieronymo, tantus Cæsar regnum Cleopatræ confirmavit *ob stupri gratiam*. Successorem verò Antonium, eodem œstro percitum, non minori potestate armatum, non mireris nihilo minori gratiâ felicem, quum vix aspecta Cleopatræ formâ mentis inops in amorem arserit juveniliter, teste Appiano, ipsoque Plutarcho. Unicus ille juvenis Octavius, qui potuisset habere in amore *ἅπαντα ὀκτώ, omnia octo*, Senes hos pudefaciens Cleopatram habuit Victor, non illa Victorem, oppugnatus quidem à fœminâ, quod memorat Plutarchus, non verò expugnatus. Senum hoc opprobrium cum delectu est notandum, Juvene exprobrante Senibus vitium, quo se prostituerunt turpiter. Vacabat amoribus perditis, seque perdebat Antonius, cui fuit Cleopatra, dicente Plutarcho, *δεινὴ συμφορὰ, ingens calamitas*; p. 932. & *τελευταῖον κακὸν, ultimumque malum*. pag. 926. Ab illâ Ægypti Helena novissimum venit malum; hinc prima infortunii curricula; aut potius infortuniorum, vel fortunæ meta. Primum amoris spatium cucurrit in Ciliciâ, cùm enim ibidem occurrisset Antonio Cleopatra, primo statim aspectu cæpit eam juveniliter amare, & ex hoste facta fuit omnium amicissima; cum enim illa Regina, tanquam Romanorum hostis fuisset accusata, quod regiis opibus *Cassium* juvisset, evocatur ad dicendam causam in Ciliciam. Illa venit exquisitissimâ navi variâque specie pompæ. Sedens in tribunali Antonius desubitò, cùm eam videret, mutatus fuit, illaque non tantum veniam faciè meruit, sed & Antonium amorem dementatum in Ægyptum, veluti captivum & triumphatum duxit, Romanis jocosè exclamantibus, *venisse* Venerem, *quæ* Bacchum *raperet*, *aut* cum Baccho comessaretur, allusione factâ ad stolidam arrogantiam Antonii, qui ob res bene gestas *Bacchi* sibi *titulum* & *habitum* assumsit, ab expeditione *Armenicâ* reversus in Ægyptum. Inepto amatori totam Ægyptum & alia permittit loca Phyllis. Infeliciter hercle & incommodè, ut de eo dici queat illud Terentii: *Neq; quenquam*

Chron. f. 66.

Parth. p. 158.

Ant. p. 926, p. 949, 950.

Plut. Ant. p. 927.

Eunuch. act. 2.

sc.3. v. *quam esse ego hominem arbitror, cui magis bonæ felicitates omnes ad-*
33. *vorsæ sient.* Vel ejusdem Comici alterum illud:

Adelph. *Senex delirans. Ipsa si cupiat Salus*
Act.4.sc. *Servare prorsus non potest hanc familiam.*

7. ult. Stultum est studium amantis Antonii, qui dum otio & luxui vacat, in rem negotiosissimam incidit. Infaustus amor, qui & amantem & amatam perdidit. Distractus amore Cleopatræ, negotia publica distulit, aut intermisit ea, omnia inconsulto agens, quod ex Dione, Plutarcho, Appiano deduci potest. Accidit Antonio, quod Syphaci Afro, cui cùm exprobrasset Scipio perfidiam animi, is re-
Appian. spondit: *Uxor Sophonisba in causâ fuit,* ἧς ἐγὼ ἤρων ἐπ' ἐμῷ κακῷ. φι-
Libyc. λόπατρις δ' ἐστὶν ἰσχυρῶς, καὶ ἱκανὴ ἅπαντά τινα πεῖσαι πρὸς ἃ βούλεται,
p.15. *cujus amore in meam perniciem captus sum, est enim amatrix patriæ nimia, & potest quemvis flectere ad quidlibet.* Cleopatra, blandiendi Magistra, in alloquio & lenociniis decipit Juliũ & Antonium. Utriq; deditâ copiâ corporis sui, nisi quod Antonio decẽtius videatur nupsisse, cum quo in perpetuo luxu vivit; & cui autor fuerat rebellandi Romanis, variis voluptatum generibus eundem enervans. Hoc telo blandiendi sauciabat Antonium Cleopatra, ἀεί τινα καινὴν ἡδο-
Plut. νὴν ἐπιφέρουσα, καὶ χάριν, ἢ διεπαιδαγώγει τὸν Ἀντώνιον, οὔτε νυκτὸς, οὔτε
Ant.p. ἡμέρας ἀνιεῖσα. καὶ γὰρ συνεκύβευε, καὶ συνέπινε, *semper novam aliquam*
928. *objiciens voluptatem & oblectamentum, quo lactabat Antonium, neque noctu neque interdiu ab eo discedens.* Acerrimum virum Antonium, quem vis non fregit, amor insanus perdidit, cumque vicerit tot præliis totas regiones, vincitur à muliere. Illud cum propudio
Ep.83. nominis Seneca retulit, aliisque in exemplum protulit, inquiens:
p.715. *M. Antonium magnum Virum & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana trajecit, quàm* ebrietas, *nec minor vino* Cleopatræ amor? *Hæc illum res* hostem Reipublicæ, *hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit.* Procax Antonius in Ægypto perditè amabat; sagax Augustus rerum suarum in publico satagebat. In procacem Virum falsè Tullius Philipp. secunda: *Sumsisti virilem togam, quam statim* muliebrem stolam *reddidisti.* De Cinædo Petronius: *Quid ille alter, qui togæ virilis die* stolam *sumsit.* Inter amores & jocos Cleopatræ, inter pocula & exquisitas dapes, inter symphonias & organa, superbo simul & procaci

fastu, agebat *Antonius*, quod in ejus Vitá Plutarchus luculentè do- p.926,
cet, & præter ea Plinii narratio de convivio magnificentissimo, quo 927, 942,
Cleopatra unionem liquefactum absorpsit pretiosissimum, docet. 952.
Maleferiatum Virum ex amore Cleopatræ multa egisse indecorè 9.35.p.
Josephus retulit 14 *Ant.* Jud. 23 p. 493; lib. 15, c. 4 p. 515, 516, 517; & 136.
1. de Bell. Jud. 14 p. 742; memorans, quàm turpiter adamatæ inser-
vierit, & quàm facilè illa apud illum assequi omnia potuerit. Impe-
riosa Cleopatra Canopo Capitolium, Nilo Tiberim exoptat jun-
gere, & Romæ dominari; sollicitato jam *Antonio* ad triumphos.
Hæc mulier Ægyptia, inquit Florus, *ab ebrio imperatore pretium*
libidinum Romanum imperium petit, & promisit Antonius; quasi 4.11.p.
facilior esset Partho Romanus. Corruptum hunc testatur animum 378.
(ut Ovidium & Horatium prætereamus) Propertii carmen: 3.10.v.31.

Conjugii obscæni pretium Romana poposcit
Mœnia, & addictos in sua jura Patres.

Mores ambitiosi in Antonio, quasi lolia, succreverunt celerius, irri-
gante unà Cleopatra, cujus malæ fœminæ instinctu gerit nunc, quod
diu texit, majori ac promtiori bellum; perculit enim opulentia Re-
ginæ ejusque assentatio Romanum, ut se infelici ausu ad deturban-
dum Octavium, seseque extollendum, bello ultimis viribus accin-
xerit, de quo Eutropius: *Ingens bellum civile commovit*, cogente 7. Hist. p.
uxore Cleopatra, *dum cupiditate muliebri optat etiam in Vrbe re-* 576.
gnare. Non aberraret, si hinc *Cleopatrianum bellum* quis nominaret;
ad modum, quo *Antonianum bellum* vocat Valerius, 3.8 p.136;
nam ab utrâque procedit parte, ab *Antonio*, tanquam *seculi face*
ac turbine, quomodo vocatur Floro, à Cleopatrâ, tanquam titio- 4,3,2.
ne, cui igneus vigor in animum levis atque fallacis Antonii. *An-* p.353.
tonius quasi rota figulorum ad Cleopatræ sensum nutumque celer-
rimè convertitur, illaque manu suâ intorquet ejusmodi bellum,
quod verè *famosum & magnum bellum* Orosio vocatur. Nomine- 6.19.p.
mus licet *Bellum Antonio-Cleopatricum*, quod quidem jucunda 531.
habet principia, verùm exitum affert amarissimum, ex florentissi-
mâ fortunâ in extremam calamitatem conjiciens & Antonium &
Cleopatram; dissensione quippe coorta hac novissima apud A-
ctium, cum summis hinc inde viribus inter utrosque pugnatum es-
set, *Augustus* vincit; Antonius desperat gladioque se perimit;
Cleopa-

Cleopatra & regno & vitâ se privat. Memorabile itaque bellum tra-
Panegyr. Theodos. p.120. ctamus, & ipsa, quod ait Pacatus, *memorabile putavit antiquitas, quod* Actiaco *aliquando* bello *ducibus motibusque Romanis* peregrina Ægyptus *arma permiscuit; tantumque res credita est habere novitatis, ut nisi frequenter isset in literas, apud posteros videretur facti fides laboratura.* Eamus itaque in literas Historicorum, & lustremus cum *Ambrosio*, quomodo ipsa *Maria quoque Actiaco* bello
in ✠.45. p.576. *infecta sanguine Romanorum* fuerint; atque ut inde proficiscamur, unde exercitus venit, ducenda erit *Classis in Mare*, ubi voluit Cleopatra pugnam fieri. Pervagata communisque res est, Bellum dici *Actiacum*, quia in Mari contigit ad Actium, promontorium Epiri. Præter Geographos Dio *Actium* nobis describit, &
lib.50.p. 487. mensorem Maris egit. Morabatur *Antonius* apud Actium, ἐν ᾧ τὸ πλεῖον αὐτοῦ τοῦ ναυτικοῦ ὥρμει, *ubi Classis major pars stationem habe-*
pag.486. *bat.* Ea ubi accepit Octavius multis immolationibus Deos adjutores incæpto invocans ad Classem omnia Brundusi parat. Primam profectionem tempestas turbat, nam, quum Brundusio solvisset, Corcyram usque provectus, χειμῶνι περιπεσὼν, καὶ πονηθεὶς, ἀνεχώρησε, *tempestate coortâ afflictus re infectâ revertit.* Ventos deinde nacti æquiores, mareque patiens navigiorum, animo auctiores ascendunt Naves, paucisque diebus ad Epirum veniunt instructæ
Dio p. 486. Classis Duces, cupiente Octavio τὸν πόλεμον καὶ ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ πρὸς τοῖς Ἀντωνίου μᾶλλον ἢ ἔν τε τῇ Ἰταλίᾳ καὶ πρὸς τῇ Ῥώμῃ ποιήσασθαι, *bellum in Græciâ Antoniique regionibus potius quàm in Italiâ prope Romam gerere.* Adventu cognito magnâ armatæ classis copiâ *Antonius* infenso nunc hosti, antea Collegæ, adversus it, fiduciam suis efficiens, copiæ navium magnarum magis fidens, quàm virtuti militis. Si magis pollerent oculorum quam animi judicia, existimares armorum *Antonii* apparatum longè præferendum Octaviano; quàm enim omnia speciosa in Antonio, quàm in Cleopatra, imò
Flor.n.3. p.378. & in Navibus atque omni specie externa. *Antonio aureus in manu baculus, ad latus acinaces; purpurea vestis, ingentibus obstricta gemmis; diadema, ut Reginâ Rex ipse frueretur,* Floro teste. *Quis Annalium scriptor, aut Carminum, Cleopatræ Classes, & eborata navigia, & purpurea cum auratis funibus vela tacuit?* Latini Pacati ista verba sunt. Octavius verò instructus erat

ναυσὶν, οὐ πρὸς ὕψος, οὐδὲ ὄγκον ἐπιδεικτικῶς πεπηγυίαις, εὐστρόφοις δὲ καὶ ταχείαις καὶ πεπληρωμέναις ἀκριβῶς, *navibus, non altitudine aut mole superbis, sed agilibus & expeditiis, egregioque apparatu pollentibus.* Si verò animorum oculis subjicimus Octavii Militem, erat is, quod ait *Dio*, λαμπρῶς ἠσκημένος, *egregie exercitatus*, citra omnem ostentationem. p.486. Antonii verò classis quàm malo milite in speciosis navibus instructa fuerit; & quomodo ad unius Cleopatræ, omne robur in mari ponentis, arbitrium res gesta fuerit, cum commiseratione legi potest apud Plutarchum, adeò ut quidam Ordinum Ductor, miserum apparatum intuens, audiente Antonio dixerit ejulans: Ὦ αὐτόκρατορ, τί ἐν ξύλοις πονηροῖς ἔχεις τὰς ἐλπίδας; *ô Imperator, quid spem tuam in lignis his miseris reponis?* Ant.p. 944. 945. Alloquio verò & consilio, quo pedestrem militiam præferendam ducebat, hoc efficiebat, ut nil responderet Antonius, *manu tantum & vultu*, τῇ χειρὶ, καὶ τῷ προσώπῳ μόνον, excitaret, ut bono esset animo. Bono fuissent animo, si bene fuisset. Invehitur itaque Classis, tam diversimodè instructa, *cælo tum sereno, & tranquillo mari*, νηνεμίας καὶ γαλήνης ἀκλύστου γενομένης, Plut. Ant.p.945; quæque tunc cohortationes fuerint Antonii, & quænam Octavii ad milites ante pugnam, peculiaribus Orationibus Dio consignat lib.50 p.490 usque ad p.501. Delectus fuerat Dux ab Octavio Agrippa, qui præiret, de quo Virgilius: 8.Æn. v.682.

Parte aliâ ventis, & Diis Agrippa secundis
Arduus agmen agens, *cui belli insigne superbum,*
Tempora navali fulgent rostrata coronâ.

Eleganter *Actia bella classesque æratas* depinxit Virgilius sub finem libri octavi, adeoque tersè, ut à nullo pictore, elogio Gerbelii, venustius, etiam omni colorum pulchritudine atque varietate adhibitâ, depingi potuerit. lib. 3. Græc.p. 94. De Antonii Classe versus sic sonant, in Æneæ clypeo:

Hinc ope barbarica, variisque Antonius *armis,* Æneid. lib.8.v. 685.
Victor ab auroræ populis, & littore rubro,
Ægyptum, viresque Orientis, & ultima secum
Bactra vehit, sequiturque (nefas) Ægyptia conjunx.
Una omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convulsum remis, rostris stridentibus, æquor,
Alta petunt; pelago credas innare revulsas

Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Tanta mole viri turritis puppibus instant.

Diis secundis Agrippam navigasse Virgilius ait, & quidem statim, faventiâ Numinis, læto initio Dux *multas onerarias naves frumen-* Oros.6. *to atque armis graves, ab Ægypto, Syriâ Asiaque, ad subsidium An-* 19.p.531. *tonio venientes cepit; peragratoque Peloponensium sinu* Methonam, *urbem validissimo Antoniano præsidio munitam expugnavit; inde* Corcyram *cepit, fugientes navali prælio persecutus profligavit, multisque rebus cruentissimè gestis ad Cæsarem venit.* Hæc erant præludia læta Agrippæ, & Antonius, re cognitâ, festinatione occurrit, *defectu & fame militum suorum permotus bellum maturat, ac repente instructis copiis ad Cæsaris castra processit, & victus est.* Victus est terresti prælio, mox navali, nam *tertio post pugnam die castra Antonius ad Actium transtulit, navali prælio decernere paratus.* Expeditum negotium erat, quod festinabatur, loca hostilia præparantur, ordinatis dispositisque omnibus acre fit prælium, & *ab hora quinta usque ad horam septimam, incerta vincendi spe gravissimè utrinque cædes factæ, reliquum diei cum subsequente nocte in victoriã Cæsaris declinavit.* Sic Orosii habet historia. In eâ permixtione navium dum Octaviani, velociorum navigiorum cursu, hæsitantes in grandibus navibus Antonianos invadunt, cursuque pleniori naves impeditiores facilibus remis involant, nullo ferè sudore eri-
[illegible]. 5. piunt victoriam, de quâ sorte Florus: *Nobis quadringentæ amplius naves;* ducentæ *non minus* hostium; *sed numerum magnitudo pensabat: quippe à senis in novenos remorum ordinibus; ad hoc turribus atque tabulis allevatæ, castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur. Quæ quidem* ipsa moles *exitio fuit.* Magnæ tunc naves, magnum malum, & terribilis species ad ærumnam, cùm Cæsaris Naves *habiles in omnia, quæ usus poscebat, ad impetus & recursus flexusque capiendos,* essent. Eo in numero erant *Naves Liburnicæ* à Liburnis, Illyrici populo, dictæ, naves agilitate ad bellum commodæ, quod genus navium leve & expeditum contulisse plurimùm ad victoriam, contrà Antonianas longè majores impedimento potius fuisse, notat Plutarchus in Anton. p. 946; & Dio lib. 50. p. 502. Picturam navium exhibent Bayfius *de re naval. p. 22.* Stevvichius *ad Veget.* 4.32. *p.* 408. Minas navium hosti-

hostilium Poeta Propertius introducit, tanquam vanas, Phœbo Augustum adhortante. 4.*Eleg.* 6. v.47.

Nec te, quòd Classis centenis remiget alis,
Terreat; invito labitur illa mari,
Quodque vehunt proræ centaurica saxa minantes,
Tigna cava, & pictos experiare metus.

In numero navium non concordant, sicut nec in numero cæsorum & captivorum, sicut solent in omnibus ferè pugnis historici. Ducentas triginta rostratas Cæsaris naves ivisse in Epirum à Brundusio, & triginta sine rostris, Classem verò Antonii CLXX navium fuisse, habet Orosius. 6.19.p. 530. Detestanda verò est mentis cæcitas in Antonio, cùm miserationem nullam afferret calamitas suorum militum, in Navibus etiam fame pereuntium; illum enim lusisse in suarum rerum infortuniis quodam exemplo docuit, Orosium imitatus, Rupertus Tuitensis: *Antonius ex Cleopatra malè famosus, cum Actium, sibi ubi classem constituerat, advenisset, & propè tertiam partem remigum* fame *absumtam offendisset, nihil motus*, Remi, *inquit*, modò salvi sint; *nam* remiges non deerunt, quousque Græcia homines habuerit. *lib.2. in Habac. fol.61.b.* *Ceperat enim Artabanem Armeniæ Regem, quem & argentea catena vinctum ad confessionem thesaurorum regiorum coegerat, quibus ablatis nimirum quasi sagena grandi & reti magno instructus Orientem pariter & Occidentem, totum denique Rom. imperium includere & ad se trahere properavit, captus ipse sagena Diaboli.* Humana omnia homini humanè ferenda sunt; & Duci atque Imperatori in militiâ militum miseria excipienda est solatio & auxilio. Severitas itaque illa horribilis calamitoso exitu digna fuit, Antonio inter defectus militum variosque labores tandem succumbente, de quo pugnæ eventu Orosius: *Prior Regina* Cleopatra *cum* LX *velocissimis navibus fugit. Antonius quoque, detracto insigni prætoriæ navis, fugientem secutus est uxorem.* 6.19.p. 531. Sic fugientem imbellem maritam maritus fugiens sequitur, imbellisque Antonius (ita Velleius) *fugientis Reginæ quàm pugnantis militis sui comes esse maluit, & imperator, qui in desertores sævire debuerat, desertor exercitus sui factus est.* 2.85.p. 77. Bilem Duci vel infimo movere potest ista ignavia *Ducis* supremi, Veneripotentis, non bellipotentis. Quid juvabant pictæ & inauratæ tabulæ navium Cleopatræ in horribili illa pugnâ, quæ,

ubi res nondum ad triarios venerat, per medium elabebantur &
Anton. evadebant? ἑξήκοντα γὰρ νῆες αἰρόμεναι ait Plutarchus, τὰ ἱστία πρὸς
p.946. ἀπόπλουν, καὶ διεκπίπτουσαι, ταραχὴν ἐποίουν, *sexaginta (Cleopatræ) naves conspectæ vela & discessum in altum dare, perrumpentesque tumultum cierunt.* Turpe non est, quod fugit Cleopatra, sed quod Antonius, de quo turpe est, quod scribit Florus: *Prima dux fugæ* Regina, *cum aurea puppe, veloque purpureo, se in altum dedit. Mox sequutus* Antonius, *sed instare vestigiis Cæsar*; & quæ ibi sequuntur
num.8.
1. de reg. usque ad capitis finem; quæ omnia Jornandes exscripsit. It præ Caja,
suc. p. sequitur Cajus, sine tubâ & tympanis. Illa chorum ducit, dat sociæ
709. dextram Antonius, sine lyra & carmine. Illa Venus verticordia, quæ aliás è maris spumâ fertur nata, nauseat ad mare, cumque in Veneris tutelâ sint Cygnus & Columba, Columba hæc imbellis atque timida, Antonium puta, ne ab accipitre Romano auferatur, tutricem Venerem ponè sequitur, non secus ac *Anaticula*, quæ in
3. As. 3. blanditiis amantium apud Plautum, anatem sequitur. Testatur
v.103. mollem omninò & effæminatum animum fuga turpis Antonii, Cleopatram jam fugientem videntis; nec sine mora, ut fieret tutior inde fuga, Omphalam suam sequentis, non secus ac fretum nil nisi flamma foret. Turpiter amantis anima, quod turpius in milite, in corpore haud vivit suo, sicut id scitè exponit Plutarchus: Ἔνθα δὴ
Ant. p. φανερὸν αὑτὸν Ἀντώνιος ἐποίησεν, οὔτε ἄρχοντος, οὔτε ἀνδρὸς, οὔτε ὅλως
946. ἰδίοις λογισμοῖς διοικούμενον· ἀλλ᾽ (ὅπερ τις παίζων εἶπε, τὴν ψυχὴν τοῦ ἐρῶντος ἐν ἀλλοτρίῳ σώματι ζῆν) ἑλκόμενος ὑπὸ τῆς γυναικὸς, ὥσπερ συμπεφυκὼς καὶ συμμεταφερόμενος: *Hic verò patefecit se Antonius nec* ducis *nec* viri *nec omnino suo duci consilio, sed, (quod ludens quispiam dixit*, amantis animam in alieno vivere corpore) *raptus à feminâ est, ut si conglutinatus ei foret unaque moveretur cum ea.* Verè προσθήκη τῆς γυναικὸς ὤν, *appendix & corollarium fæminæ*, prout
pag.944. suaviter jocatur idem Plutarchus. Fugiendum erat actutum *Antonio*, ne caderet bellicosus, sed cum suâ Venere Palœpaphius. Umbratili Duce abeunte cæteri milites, jam exemplo Ducis sui sive, ut cum Plauto nominemus, *acris Fugitoris* segniores, trepidant, ce-
5. Trin. 2. cideruntque XII millia, septem millibus vulneratis, narrante Oro-
v.97. sio. Actum itaque fuit circa Actium (ludere si licet latina lingua)
p.532. de Antonio, nihilque actum est, quàm quod acerbissima sorte for-

tunis

tunis ſuis rebuſque Romanis exceſſit, Actis reſciſſis. Actum quia malè, actum fuit de collo. Actum eſt, ilicet. Actum verò haud malè ab Octavio, quod Victor alacris diem victoriæ celebrat; inde Ægyptum petit, Alexandriam obſidet, Antonium & Cleopatram ſuperat, Ægyptum in provinciæ formam redigit. Incidit Actiaca victoria in Annum V.C. 724, ſicut ex ea annorum connexione, quam Cenſorinus nobis reliquit, conſpicitur; ejuſdemque anni IV Nonas Septembris. Dies *maximi diſcriminis* erat, Vellejo id dicente, ſed nullo unquam die felicius pugnatum fuit. *Quid ille dies*, ait idem, *terrarum orbi præſtiterit, ex quo in quem ſtatum pervenerit fortuna publica, quis in hoc tranſcurſu tam artati operis exprimere audeat?* Juſtum opus & integrum requirere putat felicitatem iſtius prælii, ejuſque fortunæ magnitudinem excedere propoſiti ſui libri formam. Dies verè felix, quæ inter tot bellorum pericula finem ſummæ belli attulit, &, ut Baconus loquitur, Orbis imperium determinavit. Uno certè die *A.* & *A* de Imperio Romano *tantis opibus* certârunt, *ut nuſquam antea majores fuiſſe videantur, ex quo imperium Orientis & Occidentis* in unius *A*ugusti dominationem *ceſſit*, Bodino judice. Præclarus certè dies & verè auguſtus Octavio, quo *Auguſtus* fuit factus, nec felicior erat expectandus dies; unde in rei memoriam hæc victoria quotannis celebrari ſolebat Romæ, & cum id *more conſueto* (ὥσπερ εἴθιστο) fieret ſub Caligula, Conſulibus abrogabat magiſtratum, notante Dione. *D*iu habitus is dies feſtus, etiam uſque ad tempora Theodoſii Imp., ſub pravâ adhuc opinione ſuperſtitionis, mutatuſque ab Eudoxia Imperatrice in feſtum S. Petri, celebrandum Kal. *A*uguſti, Sixto III. Papa annuente, ut populum à gentilitate revocaret, quæ eo die recolebat feſtum pro victoria Octavii *A*uguſti de *A*ntonio & Cleopatra, notante Sigeberto. Non etiam memoria *Loci*, ubi certamen hoc factum fuit, deſiit in delectatione haberi, gaudebatque, quo erat impetu animi, Germanicus, teſte Tacito, ſinus adire *Actiaca victoria inclytos*, luſtrare *ſacratas ab Auguſto manubias, caſtraque Antonii, cum recordatione majorum ſuorum, magnamque illinc imaginem triſtium lætorumque* reperire. Campus ſic gloriæ in delitiis fuit, luſitque in ſuavi jucundoque carmine *A*uſonius *A*mores ex Veneris imperio lu-

Plaut. 4. Ciſt. 2. v. 17.

2. 85. p. 76.

c. 86. p. 77.

8. *de aug. ſcient.* 3. p. 271.

4. *de Re-publ.* 2. p. 635.

lib. 59. p. 753.

in Chron. p. 496.

2. *A.* 53. 2.

Moſell. v. 211.

sisse eo in loco, ubi conflictum habuerit cum Augusto Antonius, quasi locus adeò Diis fuerit acceptus.

Cum Venus Actiacis Augusti læta triumphis
Ludere lascivos fera prælia jussit Amores.

Eo delectatur hortaturque ad hilaritatem Horatius, gratulatus
1. Od. 37. Augusto victoriam Actiacam, initio Odes lætâ voce dicens:
v. 1.

Nunc est bibendum; nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erit dapibus, sodales.

4. Eleg. 6. Pariter etiam Propertius, præconem agens hujus victoriæ:
v. 71.

Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditiæque fluant per mea colla rosæ;
Vinaque fundantur prælis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.

Genium, ut ei indulgeatur, in proscenium ducit bibax Poeta; sed Marti litandum pugnax Augustus censuit, alio ductus genio, nondum enim totum erat propulsatum periculum; ne itaque aliud immineret, rursus vela faciens pari alacritate à victoriâ Actiacâ traje-
lib. 51. p. cit in Asiam, testante Dione. Venisse Samum Jonicam ex Appia-
510, 522. no docemur, scribente Cæsarem in hac insula διακεῖναι τὰς αἰχμα-
lib. 4. p. λώτας, *captivos inspexisse*, benigneque salutasse. Ibi, teste Suetonio,
613. *cùm in hiberna se recepisset*, *turbatus nuntiis* de seditione militum,
c. 17. p. *præmia & missionem poscentium*, *quos ex omni numero confectæ vi-*
79. *ctoria Brundisium præmiserat, repetit Italiam, tempestate in trajectu bis conflictatus, primò inter promontoria Peloponnesi atque Ætoliæ; rursus circa montes Ceraunios, utrobique parte Liburnicarum demersa.* Seditioni sedandæ Brundusii substitit, *orbis terrarum præsidia, divisis legionibus, composuit; inde in Syriam profectus, mox Pelusium*
p. 532. *adiit, ab Antonianis præsidiis ultro susceptus*, memorante Orosio. Bonis deinde ominibus petit obsidetque *Alexandriam*, quò Antonius cum Cleopatra confugerat. Nondum liberatus fuerat mentis suæ ægritudine Antonius, qui postridie de rerum summâ cum Cæ-
Plutarch. sare decertaturus ad cænam suos jubet προθυμότερον εὐωχεῖν, ἄδηλον
p. 950. γὰρ, εἰ τοῦτο ποιήσουσιν αὔριον, ἢ δεσπόταις ἑτέροις ὑπηρετήσουσιν, αὐτὸς γὰρ κείσεσθαι σκελετὸς καὶ τὸ μηδὲν γενόμενος. *ut hilarius propinarent*

invicem

invicem atque se epulis oblectarent, incertum quippe esse, idemne facturi essent postridie, an aliis Dominis ministraturi, ipse verò jaceret exanimis atque nullus amplius. Siccine saluti consulendum erat? Expertus est verò, quod dixerat; dum urbe Alexandria capta sibiipsi compedes injicit, fœdoque exitu vitam eripit, *nullus amplius* existens. *Desperatis rebus*, ait Eutropius, *cùm omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit.* Dies ἐν ᾗ ἑάλω ἡ Ἀλεξάνδρεια, *quâ capta fuit Alexandria* ab Octaviano, festivus à Romanis statutus; & meritò, nam fuit dies verè festivus & verè felix, in quo *civile bellum* fuisse *sepultum* cecinit Seneca. *lib.7.p. 576. Dio l.51. p.523.*

Superatus acie puppibus Nilum petit
Fugæ paratis, ipse periturus brevi.
Hausit cruorem incesta Romani Ducis
Ægyptus iterum; nunc leves umbras tegit.
Illic sepultum est *impiè gestum diu*
Civile bellum. *Octaviâ v.510.*

Sensit tandem Antonius, quantum superbia illi profuerit, quâ se senem & à familiâ veteri nobiliori jactitabat, *insanientem adolescentulum* & *puerum* ridens Augustum, exutus nunc potestate ab eo, quem contemserat. Sic pueritia Alexandri spreta Darium evertit, & vitam pariter cum Persarum regno ademit. Exemplum Antonii considerantes discamus demissos animos gerere; non insolenter nos jactare, aut inflari ob generis claritatem; aut adversus eos, qui ignobili sunt nati loco, supercilium contrahere, quasi ignoremus, veram germanamque nobilitatem non ex sanguine, sed ex virtute solere characterem sumere.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, Nobilitas *sola est atque unica virtus.* *Iuven. sat. 8. v.19.*

Morti jam Antonius vicinus ex vulnere sibi illato, statim ad Cleopatram se deferri jussit, καὶ ἐν τοῖς τῆς Κλεοπάτρας κόλποις ἐναπέθανε, *atque sic in gremio Cleopatræ diem suum clausit*, ut in ipsâ morte fracti per fœdas libidines animi pignora in gremio Aspasiæ suæ deponeret. Qui semel se mancipaverat turpi cupiditati, eidem nec in morte repugnare potuit, servus & mancipium suæ Cleopatræ, in cujus postea Mausoleo reconditur. Melior animata Cleopatra tentat sibi reconciliare Augustum, sibique spondet per munera propitium, *Dio lib. 51.p.515.*

pitium,

Plut. Ant. p. 954. pitium, ſimulante animum Cæſare, ἐξηπατηκέναι μὲν οἰομένῳ, ἐξηπατημένῳ δὲ μᾶλλον, *qui arbitrabatur decepiſſe* ſimulatione clementiæ *Cleopatram, at magis ipſe deceptus eſt*; cùm enim non fideret aſtuta mulier, veneno perire maluit, quàm Romanis ſervire ; metuens quippe, ne in triumphum abduceretur Romam , miro nec antea audito mortis voluntariæ ſtratagemate aſpidem ſibi adferri curavit, ſibi admovit, ejuſque morsûs veneno vitam perdidit, quò ſe ab ignominioſa vindicaret captivitate. Quò rarior, eò famigerabilior mors Reginæ , de quâ dubitatum Dio teſtatur, teſtimonia afferens diverſa , cùm enim ille lib. 51. p. 516. ſcripſiſſet de *Augu*ſti voto : Ἐπεθύμει ζῶσάν τε λαβεῖν, καὶ εἰς τὰ νικητήρια ἀναγαγεῖν. *Deſiderabat illam capere vivam , & ducere in triumphum inter cætera victoriæ præmia* , poſtmodum pag. 518. de obitu diſſerens ait: Τὸ μὲν σαφὲς οὐδεὶς οἶδεν, ᾧ τρόπῳ διεφθάρη, *Quo mortis genere obierit, nemo novit certò* , memorans inſuper Pſyllos ab Auguſto adhibitos, εἴπως ἀνασφήλειε, *ſi quâ eam* ab aſpidibus enectam *ratione in vitam revocare poſſent*. Solicitè cuſtodiri juſſerat Cleopatram Cæſar, ut viva in triumpho videri queat Romæ; & cùm illa fefelliſſet cuſtodes, *Pſyllos admovit, qui venenum ac virus exugerent* , Suet. 17. p. 80; Pſylli autem *venena ſerpentum è vulneribus hominum hauſtu revocare atque exugere ſolebant*, Oroſius 6, 19. p. 533. Diverſitatem notat Strabo lib. 17. p. 547: ἡ Κλεοπάτρα ἑαυτὴν ἐν τῇ φρουρᾷ διεχειρίσατο λάθρα δήγματι ἀσπίδος, ἢ φαρμάκῳ ἐπιχρίστῳ. λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως. *Cleopatra ſe in cuſtodia clam admotæ aſpidis morſu, aut , ut alii tradunt, illito veneno interfecit*. De aſpidum veneno Tertullianus ad Martyres p. 370: *Beſtias fœmina libens appetiit, & utique horridiores aſpides ſerpentes tauro vel urſo, quas Cleopatra immiſit ſibi, ne in manus inimici perveniret*. Eutropius 7. H. p. 576: *Cleopatra ſibi* aſpidem *admiſit, & veneno ejus extincta eſt*. E recentioribus Ivo Carnotenſis Chronico p. 21. *Regina ad pedes Auguſti provoluta tentavit oculos ejus, ſed ſpreta ab eo deſperavit; & ubi ſe triumpho ſervavit, incautiorem nacta cuſtodiam, in Mauſoleum odoribus refertum, juxta ſuum ſe collocavit Antonium. Denique admotis ſibi ſerpentibus morte ſopita eſt*. Hanc Cleopatræ mortem ex morſu ſerpentis Galenus libro de Theriacâ ad Piſonem capite 6 pulchrè deſcripſit, & de eo agit Euſtachius Rudius lib. 1. de occultis & venenatis

morbis

morbis cap.7. pag.14; Magius in Miscellaneis cap.21.p.1354. Non pectori, sed brachio aspidem adegisse notat expressè Plutarchus, e- p.955.
jusque notas ibidem fuisse conspectas, & è Poetis Propertius:

Brachia spectavi sacris admorsa colubris, 3.10.v.
Et trahere occultum membra soporis iter. 53.

De ipsa mortua triumphavit, effigiem Cleopatræ cum Viperæ imagine in triumpho ducens, teste Plutarcho. Mausoleum Cleopa- pag.955.
træ & *Antonii* hinc vocat *Anguiferam domum* Statius, intra quam 3. Sylv. 2.
anguis morsu perierit Cleopatra. v.119. Ægrè licet tulerit Cleopatræ decessum Octavius, jussit tamen funus ei curari honorabile, καὶ ταφῆναι τὸ σῶμα σὺν Ἀντωνίῳ λαμπρῶς, καὶ βασιλικῶς, *atque corpus con-* Plut.p.
di apud Antonium splendidè & regaliter. 955. Laudanda hæc Octavii hu- Suet.17.
manitas erga hostes defunctos, quod *ambobus communem sepul-* p.80.
turæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici jussit. Mirum verò id fortasse videbitur, quod ex Antonio *Antonium* filium, & ex Cleopatra, *Cæsarionem*, Julii Cæsaris Filium, jusserit Octavius interimi, Suetonio recensente. *Occisi sunt jussu Cæsaris*, inquit pag.533.
Orosius, *major Antonii Filius; & P. Canidius; & Cassius Parmensis, ultima violatæ partis Cæsaris victima; & Q. Ovinius.* Nil ille de Cæsarione habet, de quo ex fugâ retracto quum, quid agendum esset, Plut.in
quæreret ex amicis Cæsar, Arium Philosophum ferunt dixisse, οὐκ Ant.p.
ἀγαθὸν πολυκαισαρίη, *Cæsaris in multis nomen non expedit esse*, allu- 953.
sione factâ ad illud Homeri:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. ιλ. β.
Non multos regnare bonum; Rex unicus esto. 204.

Proloquitur Philosophus causam de tollendis iis, à quibus metuendum erat, quâ motus Octavius Antonium, *majorem de duobus Fulviâ genitis*, simulacro D. Julii, *ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit*, dicente Suetonio. Non impunitatem etiam consequi poterat *Cassius Parmensis*, scriptor tragœdiarum, Poeta inter Epicos veteres eximius, qui in partibus Cassii & Bruti Tribunus militaverat, victoque Antonio Athenas se contu- 1,7.7.
lerat, ubi occisus fuit jussu Augusti, teste Valerio. *Apud Actium,* p.30.
inquit, *M. Antonii fractis opibus Cassius Parmensis, qui partes ejus secutus fuerat, Athenas confugit*; & recitato spectro nocturno, quod somnum ejus perturbârat tetrâ specie, addit: [illegible]

men intrò ferri jussit, puerosque à se discedere vetuit. Inter hanc noctem & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, parvulum admodum tempus intercessit. Epistolam ejus, quâ traduxit Augusti genus, adducit Suetonius Aug. c. 4. p. 69. Epistola quoque ejus ad M. Antonium citatur à Plinio 31. 2. p. 439. Scripta commendat Horatius hoc versu:

1. Ep. 4. v. 3. *Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat.*

Memor tantarum rerũ ut esset ævum, nec ulla dies memoriam subtraheret, signa victoriæ voluit extare victor *Nicopolin*, urbem nostrâ linguâ **Siegstatt**; *Obeliscum, Numismata; Actiacos Ludos.* p. 1337. Testatur Cassiodorus in Chronico: *C. Cæsare II. & M. Messala Coss. apud Actium M. Antonius à Cæsare superatur.* C. *Cæsare III. & M. Crasso Coss. Nicopolin Cæsar construit; Ludos Actiacos instituit.* Testatur Martianus Capella 6. Philol 20. p. 138: *Actium colonia cum Apollinis templo, ex quo ipsi quoque Deo additum cognomentum, civitasque Nicopolitana.* Duas recenset Νικοπόλεις Strabo, utramque ab Augusto denominatam. Unam libro septimo ponit in Epiro, ante quæ Ambracia fuerit dicta, Pyrrhi Regiâ celebris. Μακεδόνες δ' ὕστερον καὶ Ῥωμαῖοι, καὶ ταύτην (Ambraciam), καὶ τὰς ἄλλας κατεπόνησαν τοῖς συνεχέσι πολέμοις, ὥστε τελευταῖον ὁ Σεβαστὸς ὁρῶν ἐκλελειμμένας τελέως τὰς πόλεις, εἰς μίαν συνῴκισε τὴν ὑπ' αὐτοῦ κληθεῖσαν Νικόπολιν ἐν τῷ κόλπῳ τούτῳ. *Macedones, atque inde Romani, & hanc & vicinas urbes continuis bellis confecerunt, adeò ut tandem Augustus, cùm videret has urbes planè deseri, in unam omnes in sinu isto collectas* Nicopolin *vocaret.* Ἐκάλεσε δ' ἐπώνυμον τῆς νίκης, ἐν ᾗ κατεναυμάχησεν Ἀντώνιον (ὁ Σεβαστὸς) καὶ τῶν Αἰγυπτίων βασίλισσαν Κλεοπάτραν, pag. 225. *Ita* Ambraciam *civitatem Cæsar Augustus ad memoriam inclytæ illius victoriæ* Nicopolin *voluit ut nominaretur.* Idem Strabo lib. 17 tradit p. 547. in ejusdem victoriæ monumentum ab Augusto conditam Nicopolin in Ægypto, postquam ibi fuderat reliquias exercitûs Antonii & Cleopatræ, ibique uterque in illius potestatem venerat. De Ambracia aliisque eo loco abolitis & ab Augusto in unam Nicopolim redactis locis Strabo lib. 7. Geog. p. 225. legendus, ubi memorat & ad Statii lib. 2. p. 201. nominis impositionem ab hac victoria navali, & multitudinem incolarum. Recenset tamen *Ambraciam* Mela & Plinius, quos cum Strabone conciliat Barthius. De Nicopoli Ægyptiâ ibi Strabo: Ἡ

Νικό-

Νικόπολις ἔχει κατοικίαν ἐπὶ θαλάττῃ πόλεως οὐκ ἐλάττω. τριάκοντα δέ εἰσιν
ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας στάδιοι. Τοῦτον δ' ἐτίμησεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ τὸν τό-
πον, ὅτι ἐνταῦθα ἐνίκα τῇ μάχῃ τοὺς ἐπεξιόντας αὐτῷ μετὰ Ἀντωνίου. *Nico-
polis habitatur ad mare ita, ut urbe non minor censenda sit. Distat ab
Alexandria stadiis triginta. Eum locum Cæsar Augustus ornavit,
quod hic prælio vicisset eos, qui cum Antonio contra ipsum ad prælium
exierant.* Memoriam *Actiacæ* victoriæ voluit servare condita urbe,
cui esset nomen Nicopolis. Suetonius cap. 18. p. 81: *Quò Actiacæ
victoriæ memoria celebratior in posterum esset, urbem* Nicopolim *a-
pud Actium condidit, ludosque illic quinquennales constituit, & am-
pliato vetere Apollinis templo locum castrorum, quibus fuerat usus,
exornatum navalibus spoliis Neptuno ac Marti consecravit.* Pli-
nius 4. 1. p. 43: *In ore ipso* (sinus *A*mbracii) *colonia Augusti* Actium,
cum templo Apollinis nobili, ac civitate libera Nicopolitanâ. Diu
servata *nominis* & *ludorum* memoria fuit, cùm ibi quinto quoque
anno celebrarentur Agones, gymnici, musici & equestres, Dione *lib. 51. p.*
docente, cui τὰ Ἄκτια dicuntur; meminitque *Actiorum* Virgilius, 506.
de priscis ludis, in honorẽ *Apollinis* Actii celebratis. Diu durarunt *Æneid.*
illa Ἄκτια, quod patet ex his Mamertini verbis: *Urbs Nicopolis,* 3. *v.* 280.
quam D. Augustus in monumentum Actiacæ victoriæ tropæi instar *Paneg.*
extruxerat, prope tota conciderat. Certamen ludicrum, *lustris omni-* *Iulian. p.*
bus solitum frequentari, intermiserat temporis mœsti deforme justi- 157.
tium. De *S*acerdotio ibi instituto, ut & sacerdotis Augustalis auto-
ritate, multis agit Casaubonus in Sueton. p. 149, 150. Versantur
etiam in rei memoriam adhuc *Obeliscus* & *Nummi* ante oculos. O
spectatum admissi risum teneatis amici, & stupete ad *Obeliscum*,
qui extat Romæ charactere Ægyptiaco à Rege nescio quo Samne-
serteo ætate Pythagoræ excisus, devictâ Ægypto ab Augusto Ro-
mam translatus, & in Circo Maximo positus, cum hâc subscriptio-
ne: *Imp. Cæsar Divi F. Augustus Pont. Max. Imp.* XII. *Cos.* XI. *Trib.
pop.* XIV. *Ægypto in potestatem pop. Rom. redacta Soli donum dedit.*
Hanc altitudinis pedum LXXXVIII & semis terrâ erutum Sixtus V.
ad S. Mariam Populi transtulit, erexitque in antiquâ basi. *De* Obe-
liscis à Sixto Pont. Romæ stupendâ operâ erectis legendi Thua-
nus lib. 100. p. 903, 904; Beyerlingk Chronog. p. 144, 150, 158, 159;
Mornacius in Digest. lib. 9. tit. 2. ad leg. *A*quil. p. 275; Alex. Donatus

de Româ lib.4.c.12.p.391. Si *Nummos* placet ſpectare, dabit egregios argenteos Amicus noſter Dn.J.H. Schutzius, Præfectus Königsbergenſis, qui in viciniâ noſtrâ non ita pridem eruti ſunt inter aratrum Coloni, & fidem faciunt Inſcriptione: AUGUSTUS DIVI F. IMP. x. ACT. Monumenta hæc ſunt ſpectatu digna, teſteſque ſolemnes, quid in campo & mari egerit Octavius, à quibus pergamus ad *Sceptra Ægypti abolita*, & *ad Ægyptum in Provin-*
4.6.v. *ciam redactam*. Primus ſit Propertius:
57. *Vincit Roma fide Phœbi, dat Fœmina pœnas,*
Sceptra *per Ionias* fracta *vehuntur aquas.*

Potenti juſtitiæ divinæ, non fidei Phœbi, aſcribenda eſt Victoria, & quicquid Victori acceſſit; nempe ſplendidiſſimum Ægypti
Chron.f. Regnum, de quâ periodo Hieronymus: *Ægypti regnum, quod fuit*
68. *in Alexandria, deſtructum eſt.* Et paucis interjectis: *Alexandrinorum Regnum deſtructum eſt, & Romanis paruit.* Ægyptus propter
Cujacius opulentiam & rerum novarum ſtudia Principibus ſemper ſuſpecta
5. Oper.f. fuit. Provinciam fuiſſe factam à victoriâ notat *Amm.* Marcellinus
144. lib.22. fine: *Annales veteres monſtrant, quod Ægyptus omnis ſub amicis erat antea Regibus, ſed ſuperatis apud Actium bello navali Antonio & Cleopatra* Provinciæ nomen *accepit, ab Octaviano Auguſto poſſeſſa.* Ægypto in provinciam redactâ Auguſtus valde ſolicitus fuit de hâc ordinandâ, ne turbas moveret, ſciebat enim & populum eſſe inquietiorem, & facile fieri poſſe defenſionem. Itaque præſi-
Dio lib. dio *duæ Legiones* additæ, tertia Cyrenaica, & 22. Punica. Totidem
51.p.521. equitum turmæ, novemque cohortes. Cautum dein, ne in Ægypti
& 53.p. ullum Senatum aut Magiſtratum *de ſuis civibus* haberent. Edicto
579. quoque vetitum, ne quis Senator aut Eques Romanus niſi ſe Auguſto conſcio Ægyptum ingrederetur; cumque Senatorii Ordinis potentiam ſuſpectam haberet, volebat Præfectos Ægypti ex equeſtri ordine creari, eoſque annuos, ne diuturnitate invaleſceret potentia, primumque Præfectum dedit *Cornelium Gallum*, quem à ſe *Præfectum Auguſtalem* vocat. Poſtea *Severus* conceſſit, ut Senator *Præfectus* daretur. De ſtatu AEgypti ſub *Auguſto* & Tiberio
lib.17.p. Strabo, qui eo tempore vixit: Ἐπαρχία νῦν ἐστι, φόρους μὲν τελοῦσα
548. ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων ἀεί. Ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ Βασιλέως ἔχει τάξιν. ὑπ' αὐτῷ δ' ἐστὶν ὁ

δικαιο-

δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος. *Nunc provincia est, & tributa quidem pendit opulenta, à Viris tamen modestis administratur, qui in eam mitti solent. Qui mittitur, Regis vicem subit, cui subest Iuridicus, qui potestatem habet judicia pleraque exercendi.* Qui mittebatur nomine Imperatoris in AEgyptum Præfectus *augustalis*, Equestris erat dignitatis, Tacitus I. Hist 11.1. *Ægyptum copiasque, quibus exercetur, jam inde à divo Augusto Equites Romani obtinent loco Regum.* De Præfecti Augustalis & Juridici Alexandrini officio atque munere habentur tituli in Digestis & Codice. Mentio hujus officii est apud Ulpianum lib. I. Digest. de Officio Præfecti Augustalis. Primus C. Cornelius Gallus Forojuliensis, *Poeta* præclarus, anno ab V.C. 721 AEgyptum nomine Cæsaris provinciam tenuit. Natus Forojulii, unde *Alpinus* dictus Horatio, *A*.V.C. 681 annis quatuor Virgilio, novem verò senior Horatio, aut circiter. In primis Augusto carus fuit, sed cùm veniret in suspicionem conjurationis, aut occisus est, teste Servio, aut propriâ manu se interfecit. Virgilio amicissimus fuit, atque Gallo inscripta decima Ecloga testatur clarè, quanto honore illum prosecutus fuerit. Eum Gallum, tanquam eximium Poetam, consolari videtur Virgilius ea Ecloga, qui inter amicos Cæsaris primò habitus, postea cùm venisset in suspicionem, quod contra eum conjuraret, occisus. Optimi Carminis, cui titulus, Ciris, autor habetur Cornelius Gallus, Barthio. De eo Poeta Hieronymus Chronico Eusebiano ad Olymp. 187. p. 68. *Cleopatra & Antonius se interficiunt, & Ægyptus fit* Romana provincia, *quam primus tenuit Cajus Cornelius Gallus, de quo Virgilius scribit in Bucolicis.* Postea ad Olymp. 188. *Cornelius Gallus Forojuliensis Poeta, à quo primùm Ægyptum rectam diximus,* XLIII *ætatis suæ anno propria se manu interfecit.* Causa fuit αὐτοχειρείας, cùm statuas sibi poneret, atque Pyramidibus nomen & gesta sua curasset insculpi, affectatæ tyrannidis insimulatus à Valerio Largo apud *A*ugustum, prohibebatur intra provincias Augusti degere; variisque aliis criminibus notatus. ἡ γερουσία ἅπασα ἁλῶναί τε αὐτὸν ἐν τοῖς δικαστηρίοις, καὶ φυγεῖν τῆς οὐσίας στερηθέντα, καὶ ταύτην τε τῷ Αὐγούστῳ δοθῆναι ἐψηφίσατο; *Universus Senatus decretum fecit, ut judicio damnatus exularet, & bona ejus Augusto cederent*; unde ille περιαλγήσας ἑαυτὸν προκατεχρήσατο, *totus conturbatus morte voluntaria damnationem*

I. Sat. 10. *v.* 36.

ad Statii lib. I. *p.* 55.

Dio lib. 53. *p.* 587.

nem prævenit. Quid in Ægypto Gallus egerit, paucis relictum. Illud non est prætereundum, quod Thebas, variis ante sortibus fortunæ expositas, extremè vastavit, de quo Ammianus: *C. Gallus, O-*
lib.17.c. *ctaviano res tenente Romanas, Ægypti Procurator, exhausit civita-*
6.p.439. *tē plurimis interceptis.* Hieronymus Chronico f.69. *Thebæ Ægypti*
2.A.60. *usque ad solum dirutæ.* Tacitus de Germanico: *Visit veterum Theba-*
3. *rum magna vestigia.* Strabo lib.16.p.561. Νυνὶ κωμηδὸν συνοικεῖται. *Nunc vicatim habitatur.* Juvenalis Sat.15.v.5.

Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.

Jacent Thebæ, jacet magnus Antonius: καταλυθέντος δὲ τοῦ Ἀντωνίου, συγκατελύθησαν καὶ αἱ διατάξεις αὐτοῦ πᾶσαι, *Antonio everso omnes etiam ejus sunt Constitutiones rescissæ.* Quibus concludit verbis li-
pag. 471. brum decimum sextum Strabo, & nos iisdem finimus; vel potius cum verbis Flori: *Hic finis armorum civilium; reliqua adversus exteras Gentes.* lib. 4.c.12 initio.

13. Victor ab Oriente rediens, victo Antonio Vrbem *triplici triumpho* ingreditur, *Jani Templum* sopitis finitisque bellis Civilibus claudit, *Augustus* salutatur, atque solus summam imperii, tanquam Monarcha, suscipit.

MIrandos habuit successus non sine divinâ dispositione *Augustus*, iisque qui bella moverant, oppressis solus Imperium Romanum habuit, pacatisque omnibus ad Provinciarum defensionem Legiones quadraginta aluit. Omnes jam difficultates per quinque civilia bella, quibus de libertate Populi maximo nisu certabatur, eluctatus fortunam reverenter habet, nec victoriis ad insolentiam aut tyrannidem abutitur. Unus Juvenis impetus Antonianos varios totque populares procellas sustinuit. Bruto & Cassio in Macedoniâ cæsis, Sexto Pompejo apud Siciliam oppresso, Antonio in Ægypto devicto, ubi militem, Tacito teste, donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, munia Senatûs, Ma-

giſtratum, Legum, paulatim in ſe trahens, ſub quinto demum Conſulatu, *Imperatoris* nomen Populi decreto accepit, non quale ob victoriam tribui more vetuſto ſolebat, ſed quo ſumma Imperii demonſtraretur. Ex fortunâ belli feliciter cum variis populis geſti libenter audivit nomen Imperatoris ſibi datum. *Nomen Imperatoris*, inquit Tacitus, *ſemel atque vicies partum*. Qui exercitui fauſtè 1. *Ann.*
præerant, *Imperatoris* titulo ſalutabantur. Ex hoc more priſco Ti- 9. 2.
berius apud Dionem, *Dominum* ſe mancipiorum, *Imperatorem* militum, reliquorum *Principem* eſſe ajebat. Res porrò eò rediit, ut arte & metu Senatu Populoque devincto, Imperium ſolus obtineret, illius acta Senatus juramento approbaret, eumque omni legum vinculo liberaret, & tandem oblata Tribunitia poteſtate perpetua Regiam planè, ſi imperandi vim ſpectemus, auctoritatem ipſi conferrent. Conſortium antea nunquam pacatum fuerat inter Auguſtum & Antonium, ex Zelotypia ſtatus. Acriores erant utrinque animi, quàm ut ſine ſuſpicione machinationum haberi potuerint. Inde Bellum ortum, in quo quamprimum vicerat ad Actium Octavius Antonium, Alexandriam expugnaverat, Ægypto in provinciam redactæ impoſuerat Præfectum Cornelium Gallum, re ex voto confecta per Syriam redierat in Aſiam ad hyberna, ſequenti anno Romam triumphabundus intravit, de quo triumpho Oroſius: *Cæſar, victor ab Oriente rediens, octavo Id. Ian. urbem* 6. 20. p.
triumpho ingreſſus eſt; ac tum primum ipſe Jani portas *ſopitis omni-* 534.
bus finitiſque bellis civilibus clauſit. Hoc die primum Auguſtus *conſalutatus eſt. Atque ex eo die ſumma rerum ac poteſtatum penes UNUM cæpit eſſe & manſit, quod Græci* Μοναρχίαν *vocant*. Eadem habet verba Paulus Diaconus libro ſeptimo, niſi quod ad verbum *Auguſtus* aſſuerit, *quod Rempublicam auxerit*, & pro *uſque ad nunc* habeat, *hucuſque*. Occaſione verborum horum de tribus acturi ſumus; primùm de *Triumphis*, ſecundò de *Iano clauſo*, tertiò *Auguſti* cognomine; quartò de *Monarchiâ* Auguſti. Ordinata *Æ*gypti provinciâ, *Au*guſtus in Syriam proficiſcitur, hinc *A*ſiam ordinat, Romamque reverſus Valerium Meſſalam Conſulem, vota facientem, audit, quod Dii fauſto illius reditu, felici belli eventu, matura ex hoſtibus victoria, Rempublicam ſervaſſent. Tum *Triumphi* acti; tum pace facta undique *Ianus* clauſus eſt, tunc *Auguſtus* di-
ctus;

ctus; omnia ad votum peracta, id quod egregia laude describit Vellejus: *Nihil optare à Diis homines, nihil Dii hominibus præstare possunt, nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus post reditum in urbem Reip. populoque Rom. terrarumque orbi repræsentavit. Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata* pax, *sopitus ubique armorum furor, restituta vis legibus, judiciis autoritas, Senatus majestas, imperium Magistratuum ad pristinum redactum modum. Rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum successio, leges emendatæ utiliter, latæ salubriter. Senatus sine asperitate, nec sine severitate lectus.* A Romulo usque ad extrema Augusti circiter trecentos duodecim triumphos fuisse habitos, curiosè notat Lipsius. Magnum verò illud & memorabile est, quod Augustus ter triumphavit intra triduum, de Dalmatis; de *A*ntonio devicto; de subjugata Alexandria, urbe *A*Egypti clarissima, & propter Cleopatram; sic enim Suetonius: *Curules triumphos* (quod curru deaurato triumphator veheretur) *tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes.* De ultimo cap. 41. p. 103: *Invecta urbi* Alexandrino triumpho *regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, ut fœnore diminuto plurimum agrorum pretiis accesserit.* De omnibus Virgilius:

2. 89. p. 79.

2. Admir. 8. p. 66.

Æneid. 8. v. 714.

At Cæsar triplici *invectus Romana* triumpho
Mœnia, Dis Italis, votum immortale, sacrabat.

A triumphis erat Pax florentissima; quies terra marique populo Romano procurata. In fidem pacis Janum geminum tertius clausit, & quidem ter, qui ab Urbe condita, perpetuis bellorum turbinibus agitata, bis tantummodo ante *A*ugustum clausus, pacem dederat bellicosæ genti. Bello Cantabrico confecto pacem in regno fuisse arguit, quod Jani portæ clausæ fuerint, quod anno V. 729. Consule ipso Augusto cum M. Junio Silano contigisse notat Dio lib. 53. p. 589, & post eum Orosius, cùm enim prius dixisset Jani portas fuisse apertas, Cæsare in Cantabros & Astures eunte, postea concludit historiam belli hujus: *Cantabricæ victoriæ hunc honorem Cæsar detulit, ut tunc quoque belli portas claustro cohiberi juberet. Ita tunc secundo per Cæsarem, quartò post urbem conditam clausus est Janus.* Secundò, inquit, primùm enim clauserat A. V. C. 725. Consule se & Sexto Apulejo post victum Antonium. Deinde dum dicit, quartò

6, 21. p. 540. p. 538.

quartò post V.C. prima occlusio erat tempore Numæ, secunda ab V. C.519. Coss. T. Manlio Torquato, C. Attilio *B*albo. Tertium & quartum clausit Augustus, prout diximus. Quintùm quoque clausit idem *A*ugustus nascente Servatore nostro anno ab V.C. 752, de quo anno salutari Orosius, sequutus proculdubio autores fide dignos, sic scribit: *Cæsar Augustus ab Oriente in occidentem, à septentrione in meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus unà pace compositis,* Jani portas *tertio tunc clausit. Quas per* XII. *ferme annos* (ab incarnatione Christi usque ad cladem Varianam in Germaniâ) *quietissimo semper observatas otio ipsa etiam rubigo consignavit.* Clauso Jani templo Augustum felicissimum deprædicat Jornandes, de Regn. ac Temp. successione scribens: *Augusto nullus Imperatorum in bellis felicior, nec pace moderatior, civilissimus in omnibus, qui ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus una pace compositis* Jani portas *ipse nunc clausit.* Nunquam difficilior regni & reipublicæ administratio, ajunt Politici, quàm in ipso felicitatis & potentiæ fastigio. Non poterat felicior & potentior esse fortuna *A*ugusti, quàm quum ad summum venerat post Actiacum prælium, & jam in signum felicitatis & tranquillitatis clauderetur Templum Jani, & Templum Deo aperiretur per universum orbem nato jam Christo. Illa quippe κλεῖσις erat nota prosperi status, florentis imperii signum, rei insolitæ alicujus futuræ prodromus. *Dii dederunt,* inquit Livius, *ut videremus post bellum Actiacum ab Imp. Cæsare Augusto, pace terrâ marique partâ, Ianum clausum.* Partâ hâc pace, quam non aliunde quàm è cælo, non Deorum sed Dei, orbi Romano illapsam existimandum, *Iani templum* bis antea clausum nunc *tertiò concludebatur,* & pax tranquillitasque, cujus ea clausura fuit Romanis indicium, constituebatur. Latius januarum clausarum se porrigit consideratio nobis Christianis, nempe ad Christum, Principem pacis, quo nato exstitit pax vincens omnem pacem, cùm orbe per Augustum pacato Pacis Princeps ortus generi humano Pacem æternam dedit. Pacis autor Christus in pace nasci voluit, & quidem sub Monarchiâ Augusti, ut ita provideret saluti Ecclesiæ & diffundendæ fidei. Id aliquibus testimoniis trademus. Deo providente Romanum imperium, nascente Jesu & in

6.22.p. 543.

lib.1.p. 709.

1. Dec.1. 19.p.18.

in liberationem populi adolescente, pacatum redditum fuisse, ut liberior fieri posset idoneo tempore Evangelii cursus, verbis primùm Origenis trademus: πλῆθος εἰρήνης γέγονεν, ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς γενέσεως αὐτοῦ, εὐτρεπίζοντος τοῦ θεοῦ τῇ διδασκαλίᾳ αὐτοῦ τὰ ἔθνη, ἵν' ὑπὸ ἕνα γένηται τῶν ῥωμαίων βασιλέα. καὶ μὴ, διὰ τὸ προφάσει τῶν πολλῶν βασιλειῶν ἄμικτον τῶν ἐθνῶν πρὸς ἄλληλα, χαλεπώτερον γένηται τοῖς Ἀποστόλοις τοῦ Ἰησοῦ τὸ ποιῆσαι, ὅπερ προσέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. *Exorta in diebus ejus justitia, & multitudo pacis facta est mox ex quo natus est, præparante Deo gentes ad ejus doctrinam, ut omnes parerent uni Romanorum Regi, neve propter multitudinem regnorum interruptis gentium commerciis difficilius fieret Iesu Apostolis illud mandatum ipsius:* Euntes docete omnes gentes Καὶ σαφές γε, pergit, ὅτι κατὰ τὴν Αὐγούστου βασιλείαν, οἷς γεγέννηται, τοῦ (ἵν' οὕτως ὀνομάσω) ὁμαλίσαντος διὰ μιᾶς βασιλείας τοὺς πολλοὺς τῶν ἐπὶ γῆς. *Constat autem Augusto regnante Iesum natum, qui Princeps quasi complanavit pleraque terrarum uno regno inducto.* Impedimentum autem fuisset, si multa regna fuissent. *Omnia bella in adventu Domini quievisse multorum narrant historiæ,* ait Hieronymus in ψ. 45. col. 144; atque idem scripsit in cap. 4. Mich. col. 352: *Antequam nasceretur Christus, totus orbis plenus erat sanguine, populi contra populos, Reges contra Reges, gentes dimicabant adversum gentes. Denique etiam ipsa Romana res publica bellis lacerabatur civilibus, Cinna & Octavio & Carbone pugnantibus; Sylla & Mario; Antonio & Catilina; Cæsare & Cneo Pompejo; Augusto & Bruto, & eodem Augusto & Antonio: in quorum præliis universa sanguinem regna fuderunt. Postquam autem ad imperium Christi* singulare imperium *Roma sortita est, Apostolorum itineri pervius factus est orbis, & apertæ sunt eis portæ Urbium, & ad prædicationem unius Dei* singulare imperium *constitutum est.* Romani Imperii potestatem, tum latissimam, occasionem magnam fuisse dilatandæ in suis initiis Ecclesiæ Ambrosius in ψ. 47. tradidit: *Tædio bellorum civilium Iulio Augusto Romanum defertur imperium, & ita prælia intestina sedata sunt. Hoc autem eo profecit, ut rectè per totum orbem Apostoli mitterentur, dicente Domino Iesu:* Euntes, docete omnes gentes. *Illis quidem etiam interclusa barbaricis montibus regna patuerunt, ut Thomæ India, Matthæo Persia. Sed tamen quò plura obirent spacia terrarum in exortu Ecclesiæ, potestatem Romani Imperii*

2. in Cels. p. 81.

p. 576.

toto

toto orbe diffudit, & dissidentium mentes, terrarumque divortia, donatâ pace composuit. Didicerunt omnes homines sub uno terrarum imperio viventes, unius Dei omnipotentiæ imperium fideli eloquio confiteri. Civilia bella sub Augusto demum sublata, sub Tiberio & Caligula inhibita, sub Claudio suppressa Dei gratiâ fuisse in Christianismi surgentis commodum Orosius piè sensit, & cùm de conspiratione Furii Camilli, Dalmatiæ Legati, miraculosè sub Claudio sine cæde & sanguine sublatâ agit, addit: *Tristius & perniciosius urbi Romæ nihil unquam fuisse quàm bella civilia satis notum est. Itaq; propter adventum Apostoli Petri, & tenera Christianorum germina, vix dum adhuc pauca ad sanctæ fidei professionem erumpentia, hanc exorientem tyrannidem* (Furii) *& consurgens istud civile bellum neget quisquam divinitus esse compressum, qui præteritis temporibus de compressione bellorum civilium simile probârit exemplum?* Idem Orosius 6.22.p.544. *Eo anno, quo firmissimam verissimamque Pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, natus est Christus, cujus adventui pax ista famulata est.* Datum à Deo imperium latissimum Augusto, *quò magis*, dicente Prudentio, *jus Christiani nominis, quodcunque terrarum jacet, uno illigaret vinculo.* Disertè Pontifex disertissimus Leo in Natale Apostolorum Petri & Pauli fol.162.a. *Vt inenarrabilis divinæ gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus,* Romanum regnum divina providentia præparavit; *cujus ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina & contigua esset Universitas. Dispositio namque divinitus operi maximè congruebat, ut* multa regna uno confœderarentur imperio, & *citò pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. Hæc autem civitas ignorans suæ protectionis autorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Vnde quantum erat per Diabolum tenacius illigata, tantùm per Christum est mirabilius absoluta.* Eucherius ad Valerianum Epistolâ, cui titulum fecit Membranaceus codex, Barthio possessus, de Verâ sapientiâ. *Nationes ac regna putasne ob aliud in ditionem ac jus cessisse Romanum, & ob aliud magnam partem generis humani in unum transisse populum, nisi ut facilius, tanquam medicamentum, per corpus unum, ita per unam gentem fides infusa penetraret,*

7.6.p.586.

Perist. hym. 3. v.429.

Barth. ad Phœbad. p.126. pag.65.

traret, ut capiti ingesta velociter se per membra diffunderet? Quando autem istud inter nationes, aut multitudine innumeras, aut immanitate barbaras, extitisset? Inde est, quod nunc terra à Solis ortu & occasu, ab Aquilone & meridie Christum resonat; quod ad vitam omnia mundi latera concurrunt, dum fidem Thrax, fidem Libys, fidem Syrus, fidem receptat Hispanus. Magnum ergo & hoc divinæ pietatis argumentum est, quod sub Cæsare Octavio, *cum utique Romana possessio verticem tenuit, tunc se Deus terris dedit.* Idem Eucherius: *Quicquid vel sub illa dominatione Regum vetusta, vel sub illa deinde gemina administratione Consulum Romano accessit imperio, omnia* Christi adventui *præparata &* diffundendæ fidei *provisa potest, si quis idoneus est assertor, ostendere.* Otho Frisingensis lib.3.hist.cap.2.fol.27. *Pax idcirco tunc mundo nova reddita fuit, ut novi Regis Ministri liberius orbem terræ propagare, salutiferaque vitæ præcepta seminare possent. Non ergo fortuitis casibus, nec falsorum Deorum cultui, sed Deo vero, formanti lucem & creanti tenebras, adscribendum reor, quod ad tantum fastigium Principatusque Monarchiam, ex humili ac paupere statu, Romanorum Respublica crevit.* Et Paschasius Ratbertus in Matth.c.24. lib.11. col. 980: *In tempore adventus Christi cessarunt bella, dispensante Dei providentia, sub Augusto Octaviano, & deinceps paulo post, ut Evangelium per orbem liberius prædicaretur. Non multum longè crebrius Romanas provincias Barbaræ nationes usquequaque pervaserunt; sicut & Romani prius sibi bellando omnem orbem*
4.*Ecl.v.* 17. *subjugarunt.* Expendit idem versus de Augusto Virgilii:

Pacatumque *regit patriis virtutibus* orbem.
Ille Deûm vitam accipiet, divisque videbit
Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis.
Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Quos versus producens Comm.in Matth.col.117, addit, verè terram tum *solutam ab omni bellorum formidine* fuisse, quum Christus nasceretur; quò etiam traxit illos versus:

Iam nova progenies cœlo demittitur alto,
Et: *Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.*
Et: *Toto surgit gens aurea mundo.*

Has nimirum Poeta summus (addit) *Octaviano Principi scribens, quia*

quia levis eum ſpiritus flaverat auræ, & Sibyllino carmine divinum aliquid interius, etſi neſcius, ſuo præmonſtrabat eloquio; unde inquit: Ultima Cumæi venit jam carminis ætas. *Scilicet quidquid olim prædixerant Sibyllæ, quod jam totum illo in tempore compleretur. Quia mirabiliter velut organis his uſus eſt ſpiritus divinus, ut penè omnia, quæ de Chriſto ſunt adimpleta, ſuo carmine longè antea prænotarent.* Pio labuntur errore, qui verſus Virgilii de Chriſto volunt eſſe fatidicos, de quo egimus in Antiqq. Biblicis. Sunt hæ Poetarum delitiæ in commendationibus Principum & Magnatum, rediiſſe *A*ſtræam vel Juſtitiam è cœlo, quæ fingitur ab Heſiodo & aliis in cælum abiiſſe irata ſeculo ſub Jove, poſt Saturnum regnare orſo, quod ad Poetam Græcum docuimus. Ex hoc figmento ille Virgilianus verſus explicandus:

I. pag. 121,122.

Heſiod. p.686.

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.

Poetica fictione *Saturnia regna* vocat, cùm præſente & vigente Juſtitiâ, quæ *Virgo* dicitur, *cœlo demiſſa alto*, quò dudum migraverat ob pravam civilem diſcordiam, orbi Romano reddita tranquillitas fuerat ab Auguſto. De Saturni autem ſeculo qui velit veterum recentiorumque explicationes, congeſſit Nobiliſſ. Goldaſtus in Seniore ſive Majoratu. Prodigia lætiora Nativitatem Domini præceſſiſſe notant, quæ conſulti Vates cum Virgilio ad Auguſtum, vel ejus Filium, retulerunt, Chriſtiani poſtmodum de Chriſto intellexerunt. Ex eâ opinione Innocentius III. ſerm 2. in Nat. Dom. p. 88 ſcribit: *Oct. Auguſtus fertur in cælo vidiſſe Virginem geſtantem Filium ad oſtenſionem Sibyllæ, & extunc prohibuit, ne quis eum* Dominum *appellaret, quia natus erat Rex Regum & Dominus dominantium. Vnde Poeta:* En nova progenies cœlo dimittitur alto. Fons olei *per totum diem de taberna emeritorum largiſſimus emanavit, ſignans, quod ille naſceretur in terris, qui unctus erat oleo præ conſortibus ſuis.* Templum Pacis *funditus corruit, Romani ſiquidem pro pace perfecta, quæ toti orbi ſub Auguſto imminebat, Templum Pacis mirificum conſtruxerant, de quo conſulentes, quamdiu deberet durare, reſponſum eſt,* Donec Virgo pariat; *qui gaudentes reſponderunt:* Ergo erit æternum, quia nunquam Virgo pariet. *Sed perdit Deus ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobavit, quoniam in horâ Dominicæ nativitatis funditus corruit.* Idem de olei fonte &

l.3. c.8. toto p. 273. ſeqq.

Templi casu retulit Serm. in Annunc. Mariæ pag. 118. Ante paucos quàm Christus nasceretur menses prodigium factum publicè, quo denunciabatur *Regem populi Romani* Naturam parturire, quod ex Julii Marathi autoritate recenset & applicat ad Christum Benedictus Dubenus, & ejusmodi alia signa colligit peculiari libro, quibus Naturâ rerum mirabiliter commotâ *D*eus comprobare voluerit, atque tempus id demonstrare, quo nasceretur in terris Filius Dei altissimi, Politiæ verò Judaicæ, atque adeò Orbis jam totius mutationem instare; est autem curiosiori libello titulus: *Catalogus prodigiorum rerumque aliquot mirabilium, quæ paulo ante, in & post Nativitatem Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi acciderunt.* Non aliâs diros toties fulsisse Cometas ait Virgilius I. Georg. v. 488, quos huic negotio accommodat Joach. Camerarius lib. de Cometis p. 24, adducitque pag. 59 Nummum signatum, SALUS GENERIS HUMANI, quasi vaticinium futuræ salutis. Optata pax, salus atque tranquillitas orbis sui Augusto Cæsari conciliata fuit ab eo, qui est Autor & donator Pacis æternæ, nec auspicatissimum Imperium Principi fortunatissimo contigit vel ex Senatûs favore, vel ex Militum industriâ, sed quia tempus aderat à Deo præfinitum, quo Dei Filius *D*ominus noster Jesus Christus, Salvator noster, ex Virgine Homo, ex Deo Deus, salutis & immortalitatis nostræ gratiâ nasci voluit sub augusto Imperio Augusti. Divino itaque munere contigit, quod tandem per amplum percepit fructum laborum suorum in pace, aurei seculi parte; & quamvis multis victoriis jus imperii sui terrâ marique protulerit, minus tamen est, quod illi bellicus labor subdidit, quàm quod pax sub Christo subjecit. Augusto tunc summæ curæ fuit prospicere omnibus modis ipsi primo Monarchiæ suæ exordio, id quod non esse poterat felicius pace per orbem constitutâ, ceu necessario totius Reipublicæ bene feliciterque constituendæ fundamento, citra quod frustra de reliquis laboratur. Quamobrem omnibus pacato orbe constitutis placuit, quod non fuit sine omine longè melioris & jucundioris pacis, Augusto numisma argenteum excudere, cum hâc inscriptione: *Pax orbis terrarum*, cujus latus alterum exhibebat: IMP. PERPET. S.C. Scopus regnantium: *Pax & Libertas*; quam Principum mentem testantut Nummi cusi, cum inscriptio-

ſcriptione: PAX ÆTERNA. PAX AUGUSTA. PAX ORBIS
TERRARUM. PAX PERPETUA. LIBERTAS. Hinc ipſi ſe
Principes dixerunt *Pacis fundatores* , *Liberatores Vindiceſque Li-
bertatis, Paciferos.* Memoriam hujus rei ſervat Lapis, qui extat
Emeritæ in Hiſpaniâ: IMP. CÆS. DIVI F. AUGUSTUS. PONT.
MAX. Cos. XI. TRIBUNIC. POTEST. X. IMP. VIIII ORBE.
MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANI. CLUSO.
ET REP. P.R. OPTIMIS. LEGIBUS. ET. SANCTISSIMIS.
INSTITUTIS. REFORMATA. Inſpiciendum Lapidem præ-
bebunt Gruterus Inſcript. pag. 149; Smetius Inſcr. f. 145; *Briſſonius*
1. Formul. p. 141; Lipſius 1. Elect. 20. p. 419 ; Caſaub. ad Sueton. p.
159. Auguſti meminiſſe debent omnes bellorum Imperatores & *Du-
ces*, omnes Reges atque Principes, bellum inſtitui in eum finem,
ut pax honeſta impetretur, & politicum regimen domi firmetur,
utque ſucceſſu belli nemo ſe efferat. Honeſtiſſima quippe hæc vi-
ctoria eſt , quâ quis ſeipſum vincit, & in tanto ſucceſſu rerum ſe
moderatè gerit. Rebus ſic laudabiliter peractis animam quaſi ac lu-
cem accepit regnum, Imperiiq; Romani auctor Auguſtus verè *au-
guſtus* dicẽdus, QUOD PER EU. R. P. IN AMP. ATQ. TRA.
S. E. *quod per eum Reſpublica in ampliori atque tranquilliori ſtatu
eſſet*, prout nummus cuſus exhibet, exhibente Fulvio Urſino. Salu- *de Famil.*
bris Princeps Principis auguſti erat ornandus elogio , qui *cuncta* *Rom. p.*
diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis *ſub imperium accepit*, Ta- 160.
cito memorante. Feſſam acceperat Rempublicam, & renovaverat; 1. *A.* 1. 3.
confuſa fuerat, & eam ordinaverat , non titulo dominantis no-
minis *Dictatoris, Domini* aut *Regis*, ſed *Principis*. Principis pruden-
tis eſt, vitare & fugere, quæ odium invehunt; & aptè deligere , in
quo favor publicus occupatur. Eo fine non ab initio tantùm vita-
vit , ſed poſtea oblatam ſibi à populo *Dictaturam* recuſavit, idque,
quod ait Vellejus *conſtanter*; imò *genu nixus* , *dejecta ab humeris* 2. c. 89. p.
toga, nudo pectore deprecatus eſt, dicente Suetonio; τήν τε γὰρ ἐξουσίαν 79.
καὶ τὴν τιμὴν καὶ ὑπὲρ τοὺς δικτάτωρας ἔχων, ὀρθῶς τό, τε ἐπίφθονον καὶ τὸ c. 52. p.
μισητὸν τῆς ἐπικλήσεως αὐτῶν ἐφυλάξατο. *Cum enim haberet* (inquit 114.
Dio) *poteſtatem honoremque Dictaturâ majorem, rectè & prudenter* l. 54. p.
invidiam nominis publicè odioſi declinavit vitavitque. In eo etiam 597.
judicii ſpectatur acrimonia, quod *Dominus* noluit appellari, Suet.
c. 53.

c.53.p.114, ejusque exemplo Tiberius, Suet.c.27.p.184, invidiosum enim adhuc nomen, & nondum tutum eo uti. Non respuit Trajanus, ut ex Plinii Epistolis constat lib.10.Ep.4.seqq; nec postmodum alii. Suetonii verba sunt: *Domini appellationem, ut maledictum & opprobrium, semper exhorruit*; cumque à quodam Mimo exclamaretur, *ô Dominum æquum & bonum*, & universi comprobassent, *statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & sequenti die gravissimo corripuit edicto*, Dominumque *se posthac appellari prohibuit*. Suetonii verba de *Augusto*, cum Dominus noluit
l.6.c.ult. dici Orosius exscripsit, quod nescivit Historicus quidam notissi-
p.543. mus. Eo utitur in exprobrationem testimonio Otho Frisingensis,
3. Chron. scribens: *Augustus, quamvis jam* totius Orbis *esset* Dominus, *nun-
5.f.29. quam tamen serio vel joco* Dominum *passus est se vocari. Ubi profectò superbiæ nostræ obviatur, qui hoc summopere* Christiani, *&* Sacerdotes *exposcimus, quod rationis intuitu etiam gentes declinârunt*. Mireris, cur *Domini* appellationem respuerit Augustus, imò exhorruerit tanquam *maledictum* & *opprobrium*, notante Suetonio, velut eo vocabulo tyrannis exprobrata fuerit. Nimirum nondum erat è re, statu rei Romanæ non firmato, exosa Senatui & Plebi nomina & titulos adsumere. *Admittebat* publicè sibi impositum *Augusti* nomen, ita argutè umbram Reipublicæ à civibus desideratæ nomine Augusti tegens. Tacitus 1. *Annal*.3.9. *Domi res tranquillæ, eadem Magistratuum vocabula*. Et antea de Eodem: *Insurgere* paulla-
c.2.2. tim; *munia Senatûs, Magistratuum, Legum, in se transferre, nullo adversante*. Unde, ne novitatis postularetur, non veterem tantùm morem reliquit, sed etiam exegit, ut quoties Consulatus sibi daretur,
Suet.c. tur, *binos pro singulis Collegas haberet, reclamantibus cunctis, satis
37.p.100. majestatem ejus imminui, quod honorem eum non solus sed cum altero gereret*; quasi iniquum esset, in æquum venire cum privatis, & communicare Consulatum. *Artes* has Tiberius secutus *paulatim* (Suetonii verbum est c.33.p.187) & ipse *Principem* exercuit; scilicet ut rerum ipse cursus videretur mutationem suo tractu attulisse, ne in-
1. Ann. vidiâ mutati status ipse premeretur. Inde, quod habet Tacitus, *cun-
7.3. cta per Consules incipiebat, tanquam vetere Republica*. Unde & idem Tiberius, quod fecerat *Augustus*, *Domini* nomen repudiavit, quod
p.345. ejus exemplo secutus fuit *Severus*, Lampridio teste. Odiosum nomen

men *Domini* vitaverat initio Augustus, Principatum tamen & dominatum non abjecit, quo demum firmato non solùm se collocavit in fastigio regni, sed etiam præ se tulit ad se pertinere Monarchiam Imperii Romani, creverant enim opes & potentia. In Julio non sublata dominatio, sed Dominus commutatus succedente Octaviano. Non Dominum fugerunt sublato Julio, amiciorem Dominum in Augusto acceperunt, τυραννικώτερον in Tiberio. Domini
nomen *imperiale* dicit Ambrosius. Emolliendum erat verbum *im-* *de Noe c.*
periale, nonnihil arrogans & imperiosum, per aliud, sive *Patris Pa-* 22.p.161.
triæ, sive *Augusti*, quod desiderium quoddam & intimum voluntatis affectum, & propensionem animi erga Senatum populumque Rom. deprædicaret; inde ab Octaviano libentius receptum nomen *Augusti*, quàm *Romuli* aut *Dictatoris*, quod illud esset benignius minusque invidiosum. *Sanctius nomen* dicit Florus; *cum enim tra-* 4,12.n.
ctaretur in Senatu, an quia condidisset imperium, Romulus *vocare-* 66.p.392.
tur, sed sanctius & reverentius visum est nomen Augusti, *ut scilicet jam tum, cùm colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.* Sanctius nomen ait, quia enim divinitus missus credebatur, sanctum ei aliquod nomẽ, quod convenientius esset quàm Romuli, deputatum fuit, inter ἱερὰ ὀνόματα autem habitum *Augusti*, quod majestatem imperii magis exprimeret; Servius verò commemoravit quodam tempore tres partes populi, consentiente Senatu obtulisse ei tria nomina, *Augusti, Cæsaris, Quirini*; Illum, ne unum eligendo, alias partes offenderet, primò *Quirinum*, inde *Cæsarem* dictum; *pòst in nomine* Augusti *permansisse. Id* notavit ad l.3.Georg.p.267; & ad 1.Æneid.p.267. Cognomen illud *Augusti* illi Planci sententiâ *con-*
sensus universi Senatûs populique Romani indidit, Vellejo teste. Hic 2.91.p.81.
est ille Plancus, cujus inter familiares Ciceronis extant Epistolæ;
& cui etiam adscribit Suetonius, cujus verba: *Postea C.* Cæsaris *&* c.7 p.71.
deinde Augusti *cognomen assumpsit; alterum testamento majoris avunculi; alterum*, Munatii Planci *sententia; cùm quibusdam censentibus* Romulum *appellari oportere, quasi & ipsum conditorem urbis, prævaluisset, ut* Augustus *potius vocaretur, non tantùm novo, sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur,* Augusta *dicantur, ab* auctu, *vel ab* avium gestu gustuve: *sicut etiam Ennius docet scribens,*

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

1. *Fast.* Augustus ab *augurio* denominatur Suetonio; indeque Ovidius:

v. 609. *Sacra vocant* Augusta *Patres*; Augusta *vocantur*
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu.
Hujus & augurium *dependet origine verbi,*
Et quodcunque suâ Iuppiter auget *ope.*

Ab avium gestu gustuve *Augustus*, notante Suetonio, ubi *gustus* est
in Ter- *gustatus*, cujus similia exempla multa notat Salmasius. Græcis ἅγιος
tull. de & σεβαςὸς exponitur juxta Dionis verba: ὁ Καῖσαρ ἐπεθύμει μὲν
Pallio ἰσχυρῶς Ῥωμύλος ὀνομασθῆναι, αἰσθόμενος δὲ ὅτι ὑποπτεύεται ἐκ τούτου
p. 282. τῆς βασιλείας ἐπιθυμεῖν, οὐκ ἔτ᾽ αὐτοῦ ἀντεποιήσατο, ἀλλ᾽ Αὔγουστος, ὡς
lib. 53. *p.* καὶ πλεῖόν τι ἢ κατ᾽ ἀνθρώπους ὢν, ἐπεκλήθη. πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα,
581. καὶ τὰ ἱερώτατα Αὔγουστα προσαγορεύεται, ἐξ οὗπερ καὶ Σεβαςὸν αὐτὸν καὶ ἑλληνίζοντές πως, ἀπὸ τοῦ σεβάζεσθαι, προσεῖπον. *Octavius expetebat* Romulus *vocari, sed cum hinc suspectum fieri se sentiret invadendi regni, instare desiit, assumsitque* Augusti *cognomen, velut jam homine major. Latinis enim pretiosissima & consecrata vocantur* augusta. *Græci eum* Σεβαςὸν *appellant origine vocis à religioso adorandi cultu.* Cur suspectus? Romulus enim & qui Rex; & pro *Rege ac Domino* per ἀντονομασίαν allusivè dictum; sicut Lepidus Orat. Sullam apud Sa-

1. *Hist.* lustium vocat *sævum Romulum*; & Salustius ipse Ciceronem vo-

2. 5. cat *Romulum Arpinatem.* Cognomen quoque aliud, nempe *Patris Patriæ*, datum fuisse *Augusto* Nonis Februarii ab omnibus Ordinibus testatur Ovidius 2. Fastorum v. 127.

Sancte Pater Patriæ; *tibi plebs, tibi Curia nomen*
Hoc dedit; hoc dedimus tibi nomen Eques.

Sic collata in Unius honorem vota omnium, nam *universi*, (habet Suetonius) *repentino maximoque consensu detulerunt* Patris Patriæ *cognomen.* Laudatus est *Pater Patriæ*, cujus appellationis optimæ

1. *de Clem.* rationem reddens Seneca, in hæc verba disserit: *Hoc quod* Parenti,

14 *p.* 475. *etiam* Principi *faciendum est*, *quem appellavimus* Patrem Patriæ, *non adulatione vanâ adducti. Cætera enim cognomina honori data sunt.* Patrem Patriæ *appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Pari-

lib. 57. ter & Livia, quod nimis ambitiosum, Μήτηρ καὶ γονεὺς τῆς πατρίδος,

p. 699. *Mater ac Genitrix Patriæ*, dicta fuerat, teste Dione, *Patriæ Mater* appel-

appellata apud Tacitum, ubi legimus: *Multa Patrum & in Augustam laudatio; alii* Parentem, *alii* Matrem Patriæ *appellandam.* 1. Ann. 14. 1.
Etiam ICto Princeps summus eâdem *Patris Patriæ* veneratione honoratus *l. ult. de Interd. & releg.* Nomen hoc religiosum *Patris Patriæ* à populo sæpius ingestum repudiasse Tiberium recensuit Tacitus; qui certè indignissimus erat eo honore; sicut *Augusti* titulum vix voluit admittere; nam parcè *Augusti* titulo hæreditario hoc usus fuit Tiberius, quem ferre cognomen hoc jusserat Octavius, & in iis Epistolis tantùm, quas *ad Reges & Dynastas* dabat, teste Suetonio. Cæsar maluit quàm *Augustus* dici Caligula, Suet. c. 22. p. 239, cui cùm aliquando acclamasset Populus, *Iuvenis Auguste,* ratus sibi injuriam factam multos occidit. Stolidus Claudius non modò *Augusti* nomen aspernabatur, sed ne *Imperatoris* quidem appellationem admittebat, *Cæsaris* titulo contentus, uti etiam Nero & Galba; Suet. c. 12. p. 285. Vitellius *Germanici* nomen recepit, *Augusti* distulit, *Cæsaris* in perpetuum repudiavit, Suet. c. 8. p. 410; assumtum v. fuit nomen ab Antoninis Pio & Philosopho, & qu. reparatum, atque postea invaluit, ut *Imperatores* Augusti, Candidati autem Imperii *Cæsares* dicerentur. Cognomen Augusti etiam datum uxoribus, atque etiam sororibus Imperatorum. Livia toties *Augusta* vocatur in Suetonio, Tacito, aliis. Obtulit cognomen idem uxori & sorori Trajani Senatus, quod honestamentum detrectabant, unde illâ laudatâ modestiâ ait Plinius Panegyrico: *Hoc magis dignæ sunt, quæ in animis nostris & sint, & habeantur* Augustæ, *quia non vocantur.* Digni sunt eâ appellatione non nisi Augusti Imperatores; Augustique vox incendere studia Imperatorum debet non tam ad faciendam rem divinam sedulò quàm imitandas virtutes egregias ad splendorem imperii, uti enim *Cæsaris* vox successionem generis indicat, sic splendorem dignitatis Augusti titulus notat, illo enim *familia*, hoc *splendor dignitatis* significatur. Utroque usus feliciter Octavianus, de quo Ausonius: in Aug. v. 1.

1. Ann. 72. 2. — c. 26. p. 183. — pag. 73.

Vltor, successorque dehinc Octavius, *idem*
Cæsar & Augustus, *nomine nobilior.*

Ab hâc jam consuetudine est, ut *Cæsares* & *Augusti* dicantur Imperatores; magis verò placuerit illis *Augusti* nomen, nam, scribente Marcellino, *Imperatoribus nostris* Augusta nuncupatio *amabilis* l. 23. p. 488.

est & optata. Hinc Hieronymus in Ezech. c. 29. col. 935. *Apud Romanos* Cæsares & Augusti *Reges eorum appellantur à primo Cajo Cæsare, & secundo adoptivo ejus Octaviano, qui passim* Augustus *est nominatus.* Inde Otho Frisingensis 3. Hist. 3. f. 28. *Augusti nomen cunctis usque ad tempus inauditum seculis, apicem declarans Imperii, solis Romanorum debetur Regibus.* Et Gobelinus Persona in Cosmodromio : *Nomine* Augusti *postea Romani Imperatores usi sunt usque in præsentem diem, eò quod sicut Octavianus eo nomine est honoratus, quia Rempubl.* auxit; *ita quilibet Imperator, ut dignus existat hoc nomine,* Rempublicam augere *satagat.* Inde est, quod Imperatores in epigraphe Literarum & Decretorum sese appellant *Semper-Augustos,* Alzeith Mehrer des Reichs / de quâ appellationis antiquitate constat ex Inscriptione, quâ, Goltzio observante, memorantur Diocletianus & Maximianus SEMPER-AUGUSTI. Extat etiam in Inscriptionum vasto Gruteri opere Inscriptio, ubi L. Septimius Verus vocatur SEMPER-AUGUSTUS; item Vetus Marmor, quo Constantinus vocatur *Victor ac triumfator semper-Augustus,* id quod malè ad Ant. Caracallam referre Gruterum notat Antiquarius Italiæ illustris Laur. Pignorius Not. in hist. Albertini Mussati p. 15. 16. Plura, eaque elegantia, ad eundem Mussatum conscripsit de formulæ hujus origine & progressu Cl. Felix Osius pag. 2. & 3. Invectivâ verò non caret ampla appellatio, si *ab augendo* deducitur, sicut constat ex illâ vulgari appellatione : Alzeith Mehrer des Reiches. Inde J. Corasius 3. Jur. civ. 29. n. 6. p. 250. *Delirus mihi videtur eorum error, & ridiculus, qui* Augustum *ab* augendo *dictum credunt, quoniam non* ab augendo *sic vocatur, sed quia sacer & majestatis plenus.* Modestius Cl Boeclerus de Auspicio Regio c. 3. p. 246. *Quod sequioris ævi scriptores, quasi* ab augendo imperio *deducunt* Augusti *appellationem, allusionis potius licentiâ quàm originis veritate æstimari debet*, ubi pluribus. Ab Augusto non sine præsigni omine *Augusti* vocati Imperatores, omni potestate aucti, neque enim Augustus, n si qui auctus potestate, ut cui & in quem populus Rom. Imperium suum & potestatem concesserit, §. sed & quod Principi 6. Instit. de J. N. G & C. Vnde *Magni, Felices* & *Augusti* dicti, *ambitiosæ Majestati*, quod Seneca ait *quicquid potuimus titulorum*, congerentes. Noster *Augustus* verè augu-

[Margin notes: at. 5. c. 20. p. 122. — Thesaur. Antiq. p. 77. — l. de Clem. 1. 4. p. 475.]

augustus, sive velis ab augendo, sive alio modo. Laudat Gerson, *serm. in*
Cancell. Parisiensis, Augustum, quod Rempublicam nominârit *die Epi-*
suam Filiam, recensente Macrobio, & quod dici voluerit *Pater* *phaniæ*
Patriæ, ad ostendendum, quod *non per timorem*, sed *amorem*, *rege-* *part.2.f.*
re suum voluit populum, quemadmodum Pater regit suos Filios. Au- *48.b.*
gustus noster hinc verè augustus, cui etiam *Corona civica è quercu* *T.4.*
cum laurea à Senatu populoque Rom. oblata fuit, illa ob cives ser- *2. Saturn.*
vatos, hæc ob hostes victos, decretumque, ut laurea corona pro *5.p.405.*
foribus palatii poneretur, illa querna in fastigio domûs Palatinæ
suspenderetur. Id notat Dio lib. 53. ad *A.726.* Τότε τὰς δάφνας πρὸ
τῶν βασιλείων αὐτȣ͂ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύϊνον ὑπὲρ αὐ- *p.580.*
τῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ καὶ ἀεὶ τȣ̀ς πολεμίȣς νικῶντι καὶ τȣ̀ς πολίτας σώ-
ζοντι ἐψηφίσθη, *Decretum fuit, ut ante ipsius domum in palatio* lauri
ponerentur, ac in fastigio Palatinæ domus civica *figeretur, nimirum*
quod perpetuus hostium victor, ac Civium esset Servator. Querna
corona unà cum titulo oblata à Senatu, ὡς τῶν πολιτῶν σωτῆρι, *tan-*
quam Civium Servatori; unde versus Ovidii: *1. Fast.*

Augeat imperium nostri Ducis, augeat annos; *v.613.*
Protegat & nostras querna corona *fores.*

In Monarchia lætatur tacitâ ambitione Augustus, subque titulis & vocabulis benignioribus, & sine apertâ confessione, sibi blanditur, quod Regnum orbis venit eversis hostibus ad se unum. *Dominus* est Romanorum, & eligitur nomen *Patris*, benigniori appellatione; aut *Augusti*, quam perpetuam fecit usus; aut *Principatus* leni nomine exprimit dominatum recentiorem, ne damnare videatur penitus pristinum libertatis Senatoriæ statum. Fingat verò, quod libet, præteritum omne pro nihilo erat, quia non quæsiverat, quod aliquando fuerat ante Julium, sed quod Julius quæsiverat, quidque semper futurum esset. Ingenuè de Romani Imperii post interfectum Julium ambiguo statu Dio: Τό, τε τῆς ἐλευθερίας σχῆμα ἐφαντάζετο, καὶ τὰ τῆς δυναστείας ἔργα ἐγίνετο. *Libertatem imagine quâdam præferebant, reverà dominatio struebatur.* Non ignoramus, quid Triumviri quæsiverint. *lib.45.p.* *312.* Tectius fuerat, quod Cassius, Brutus, & cæteri, inter naufragii miserias moliebantur. Libertatis dulce nomen, gloriaque & studium imperii sub eâ augendi, transversum egerat ipsum Brutum, ut brutali impetu tolleret Ju-

lium; quâ ipsâ cæde non *Libertas* quæsita, sed *Dominatio* magis au-
cta fuit, miro eventu, nam Reipublicæ Romanæ disjectæ hoc fa-
cinus conducibile fuit; Bruto enim sublato Augustus libertatis
specioso fuco dominationem sibi posterisque firmis radicibus ac-
quirit, corticem relinquens Senatui Populoque, nucleum sibi ser-
vans. Libertas sola fefellit, Dominatio verò Libertati blande suc-
lib.44. p.273. cedens, invicta atque inexpugnabilis artibus Augusti evasit. Ἡ μο-
ναρχία δυσχερὲς μὲν ἀκοῦσαι, χρησιμώτατον δὲ ἐμπολιτεύσασθαι, *Monar-
chiæ nomen auditu quidem erat difficile; penes Unum tamen esse Vim
Principatus, conducibile omnium maximè fuit*, ait Dio, qui Vir πο-
λιτικώτατος lib.53.p.581 retulit τὸ ὄνομα τὸ μοναρχικὸν, *nomen Mo-
narchiæ*, fuisse μισητὸν sive *invisum* Romanis quàm maximè; unde
ostentabatur libertas vel imago aliqua veteris statûs sub novâ ta-
men imperii formâ, cùm omnia in Imperatoris manu essent, omnia
agentis studiosè, ne accusaretur alicujus dominationis, & tristiori
obsequio fieret Senatus & Populus diffidens. Observans fuit ea-
rum rerum, quæ placerent, & cùm tale aliquid præstat, plus præsti-
tit, quàm præstabatur. Non vult dici *Dictator*, rem tamen ipsam
habet; non vult dici *Dominus*, & rem ipsam dominationis habet, sed
sub mollioribus titulis; quasi eis offuciis possent è medio auferri i-
lib. 44. p. 303. psa officia ambitiosa; unde pro nihilo ducit Dio eorum decretum,
qui *Dictaturam* è Republica sustulerant, ὥσπερ ἐν τοῖς ὀνόμασι τῆς
τῶν ἔργων δεινότητος οὔσης, *quasi vis rerum in vocabulis sita esset*. Legem
3.B.C.p. 542. Antonii de nullo Dictatore creando Appianus commemoravit,
quò magis metum ac suspicionem eximeret, sed deceptis Patribus.
Odiosum nomen factum *Dictatoris* & suspectum in Julio, postque
ejus necem; inde cæteri abstinuêre., nam cùm Augusto Dictatu-
ram *magna vi* offerret populus, *genu nixus*, (cogita quæso de inge-
Suet.c.52. p.114. nio Augusti) *dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est*. Di-
ctatoris etiam nomen deprecatus fuit Tiberius, & *Patris Patriæ*,
& *Domini*, 1.A.72,2;2.A.87,2. Quæ verò hæc in verbis schemata,
rimas jam magnas agente Reipublicæ nave? Crederet, qui naris
obæsæ fuerit, veram rem esse; sed studio noscendi qui valuerit, do-
Apol. c. 34. col. 755. los viderit. Parum forsitan recordatus earum artium Tertullianus
scripsit: *Augustus, Imperii formator, ne* Dominum *quidem se dici
volebat, & hoc enim* Dei *cognomen est*. Reipsâ *Imperator, Dominus,*

Cæsar,

Cæsar, Rex, Princeps, & quæ ſunt plura dominationis vocabula, fuerant unum & idem; & glaucoma fuit tantùm populo obductum, judice Clapmario. *Dominus* voluit eſſe, non dici, Auguſtus, iratum ſe ſimulans iis, qui *Dominum* dicerent, avertendæ moleſtiæ causâ. Fallacia hæc fuit tacita, tacitumque damnum, donec in rete intimum caderetur. Laboris & impenſæ non pænituit Piſcatorem regni, egregiumque Artificem curandi per varia emplaſtra. Augere imperium *in Monarchia* cum poteſtate plenâ voluit; ſed remediis id tentavit primum lenibus, variis emplaſtris uſus, ſub variâ manu impoſitis. Perſuadere poterat, morbum ad valetudinem facere; & eſſe videndum poſthac, Antonio egregiè triumphato, quibuſnam ſalutem ſuam crederent. Philoſophum egit, cui non defuerat Sophiſticæ notitia, quâ cumulatè fuit inſtructus ad eludendos hoſtes, ſi venerint. Philoſophia Regni eſt, ut ita dicamus, flexibilis Politica, ſubjecta rationi hominum, temporibus & perſonis, cum involucris variorum ſchematum, ut, quæ regni conſtitutio fuerit quondam *Regia*, & deinde *popularis* ſive *democratica*, aut *ariſtocratica*, mutetur in Monarchicum ordinem, in quem pronus Auguſtus, non quidem cum feſtinatione, ſed lento pede ſtatum mutavit. Caput artis regnandi in *Auguſto* fuit flexibili Politicâ diſſimulare artem. Julius nimium popularis affectat affectus populi, ſui incurioſior, in ſe ſentiens majorem fiduciam quàm in aliis haberet. Tiberius ingenio acer, dum diſſimulandi facultatem affectat, omnem perdit, dumque ſublimitate artis inconditè utitur, perit. Mala ars iſta, quæ nocet, ſi malè diſſimulatur. Inani ſimulatione ne erretur, à tam perito artifice Auguſto, quem longi temporis uſus docuerat, require, eſt enim diſciplinæ peritus; non à Tiberio, malâ fide exſolvente ſimulationem, & malè pereunte. Detegit & tradit artem Cyr. Lentulus, ſcribens: *Duo prudentiæ civilis cardines ſunt*, Diffidentia & *Diſſimulatio*. *Qui iis callide* moderateque *utitur, is Viri pragmatici munia impleſſe creditur; qui verò* modum *in iis* excedit, *ita ut ipsâ ſubtilitate pelluceant, nec doli aſtu tegantur, is & omnibus diffidendi, & ſimulationem ſimulatione eludendi materiam præbet, nec ullum ſincere amicum, & vera ex animo conſulentem invenerit.* Ut in eo docendo ſunt diligentiores Politici, & in exercendo fervidiores Reges ac Principes, ita non prætereundæ lamentationes Politicorum,

de Iur. publ. th. 8.

in Auguſto p. 137.

ticorum, maximè Theologorum, virorum gravium, & abusuum simulandi & dissimulandi locupletissimorum testium. Indigna passim in Aulis occurrunt, Consiliariis & Ministris non in Aulâ Augusti sed Tiberii, aut aliunde edoctis. Damus aliquid, si quid intelligimus. Sic sæpe agitur in Regnis, ut comicâ facie tragica celentur, quâ sophisticâ larvâ nil frequentius. Publica causa prætexitur privatis odiis, bonum simulatur publicum, & de privatis dimicatur commodis. In ore habetur Regni salus, & hoc prætextu privata ambitio & æmulatio obvelatur, Sanctis titulis seruntur dissensiones & discordiæ, & multa mala adferuntur. Sanguis elicitur, dum nimium munguntur subditi, & in hanc rem graves curæ suscipiuntur, acresq; technæ à flagellatoribus excogitantur. Sed hæc ad Aulam Tiberii pertinent, ibique recensebitur, si quid noverimus, quamvis simus ab iis tradendis tam aversi, quàm alii ad monitiones accipiendas conversi. Agamus nunc, quod nostrum est. Familiari vultu palliat Monarchiam suam Augustus iis verborum lenimentis, quibus potest, quibus quidem benignioribus verbis glaucoma objecit incautiori plebi, cautioribus verò fibulam injecit, ne loquerentur, quos non latere poterat, licet non se explicaret animus. Hypocrisi hâc erat utendum; Monarchia enim nondum erat sistenda turbidis oculis, & vertiginosæ plebi, quippe in cunabulis suis obnoxia periculo. Turbis Romæ cessantibus Senatui plura concessit, Populo etiam, adeò ut literis etiam propositis τῷ τε πλήθει καὶ τῷ δήμῳ, *plebi atque populo* commendaret, quos vellet promoveri ad Magistratus, quod antea, rebus nondum planè quietis, nunquam fecerat, de quo legendus Dio lib. 55. p. 654. Sic poterat inservire tempori rerumque occasioni, ut ita *ratio temporum & occasio, basis & fundamentum omnis prudentis actionis* ei fuerit, quod in rebus agendis esse ait Milletotus commodum medium. Gratia popularis multùm potest in provehendo imperio, populoque confisus Augustus humeris quasi plebis vectus fuit ad regnum. De hoc popularitatis prudenti præsidio Bodinus: *Magistratuum urbanorum creationem inter se ac populum partitus est, sic tamen, ut prehensos Candidatos ad populum manu duceret, ereptisque suffragiis & populi gratiam, & Magistratus sibi obligatos haberet. Illud etiam valde populariter ab eo factum memoratur, quod Reipublicæ debita, quæ bel-*

de pot. sec. in Eccl. p. 68.

4. de Rep. 1. p. 599.

lis civilibus contracta fuerant, *ac debitorum tabulas lacerari & cremari jussit.* Uti noverat *molliori consuetudine*, uti eleganter vocat Curtius, delinimentis præsertim munerum annonæq; laxitate; nam *Congiaria populo frequenter dedit; ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis non nisi ab undecimo ætatis anno accip... e consuessent.* Frumentum *quoque in annonæ difficultatibus sæpe levissi... o, interdum nullo pretio, viritim admensus est, tesserasque nummarias duplicavit.* Hanc ei artem familiarem notat Tacitus, ajens: *Militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit.* Plebem itaque illexit, potentiæ stabiliendæ medium congruum arripiens, *satis gnarus*, quod scribit Forstnerus, *plus* in Primatibus *irarum, minus virium esse;* Vulgum *confusione & tumultu, non consilio, non ratione, tantum arbitrio Domini impelli, & annona, pace, præsentibus contentum, futuri negligentem, mutationum causas minimè exigere.* Non poterat esse alienus ab hypocrisi & simulatione *A*ugustus comparaturus Monarchiæ statum, cùm non unus scopulus esset vitandus; isque sciverat, quâ manu balista torquenda, & qui balistâ scopulus petendus. Valde usitatum fuit Romæ, aliud agi, aliud ostendi. Inde tot notare licet ex unico Tacito tegmina, simulachra, colores, species, fucos, dealbationes, incrustamenta, involucra, schemata, emplastra, imagines, pepla, sique obscurè dicta & facta notare licet, uno verbo, deceptiones. Arcana Principum Taciti historia cumprimis prodit, Politicis passim docentibus. Augustus vafris artibus crudelibusque interdum mediis (Triumviratum cogita) sibi Rempublicam subjecit, ejusque artes graphicè Tacitus describit, exponunt verò Cl. Boeclerus & Lentulus, clarissimi Viri, & iisdem quoque de rebus variè scripsit Cl. Dn. Collega D. Jacobus Le Bleu, maximè ubi agit de Simulacris Regnantium. Pigmenta tribuit Augusto Tacitus, & quasi è bonorum Principum ordine interdum in tyrannicum & vafrum sodalitium conjecit, si enim illi fides, pietas erga Parentem, & tempora Reip. obtentui sumta, consulti per ludibrium Pontifices, conciti dominandi cupidine per largitiones veterani, corruptæ Legiones, Jus Prætoris callidè quæsitum, simulata Pompejanarum partium gratia; sed Pompejus imagine pacis, Lepidus specie amicitiæ, Antonius fæderibus decepti. Post oppressum Antonium statim simulabat, se redditurum Rempublicam. De

lib 6.

Suet. c. 41. p. 103.

l. A. 2. 2.

Not. ad l. 12. Tacit. p. 252.

deponendâ imperii mole cogitabat non semel, sed cogitavit tan-
c.28.p. tùm. De eâ fluctuatione Suetonius: *De reddendâ Rep. bis cogitavit,*
90. *primò* post oppressum *statim* Antonium, *memor objectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret, ne redderetur*; *ac rursus* tædio diuturnæ valitudinis, *cum etiam Magistratibus ac Senatu domum accitis* Rationarium Imperii *tradidit. Sed reputans, & se* privatum *non sine periculo fore, & illam* plurium arbitrio *temerè committi, in retinendâ*
lib.52.p. *perseveravit, dubium eventu meliore an voluntate.* Addit Dio ex
532.seqq. amicis ipsius, ut redderet Remp. suasisse Agrippam, Mecænatem dissuasisse, & utriusque rationem commemorat. De reddendâ Republicâ *bis cogitavit*, ait Suetonius. Serione an simulate? De diversis actibus loquendum videtur diverse. Potuit esse, ut seriò nunc, alio tempore ageret πλαστῶς sive ficte! Erat, cùm ob tædium valetudinis adversæ vacationem à laboribus regnandi optaret; cujus *tædii in diuturnâ valetudine* mentionem facit Suetonius; traditque Dio, id factum septimo Consulatu, cujus sui animi voluntatem exposuit in Senatu, recitatâ Oratione, quam exhibet Dio lib.53. à p.569 ad p.579, quem variâ excipiebant sententiâ sermonem Senatores: ποικίλον γὰρ πάθος τοὺς βουλευτὰς κατελάμβανεν. ὀλίγοι μὲν γὰρ τὴν διάνοιαν αὐτοῦ ᾔδεσαν, κἀκ τούτου καὶ συνεσπούδαζον αὐτῷ. τῶν δ' ἄλλων οἱ μὲν ὑπώπτευον τὰ λεγόμενα, οἱ δὲ ἐπίστευον σφίσι. καὶ διὰ ταῦτα καὶ ἐθαύμαζον ὁμοίως ἀμφότεροι, οἱ μὲν τὴν περιτέχνησιν αὐτοῦ, οἱ δὲ τὴν γνώμην. *Eâ oratione mirè Senatorum animi afficiebantur; pauci quippe erant, qui animum ejus caperent, indeque astipularentur; reliqui verò aut suspicabantur, quo hæc consilio dicta essent, aut fidem iis non derogabant; quorum alii artificium callidum in occultanda sententia, alii hoc ejus propositum admirabantur.* Admirabatur propositum Mecænas, qui dissuasurus Imperii depositionem ait: Τίς σου φείσεται, ἂν
lib.52.p. τε ἐς τὸν δῆμον τὰ πράγματα ὡς ἦσάν τε καὶ ἑτέρῳ τινὶ ἐπιτρέψῃς, παμ-
544. πόλλων μὲν ὄντων τῶν ὑπὸ σοῦ λελυπημένων, πάντων δ' ὡς εἰπεῖν τῆς μοναρχίας ἀντιποιησομένων; *Quis tibi parcet, ubi omnes res, uti nunc eæ sunt, populi aliorumque potestati permittes, quum & permulti à te sint offensi, & omnes ferè summam rerū tentaturi?* Inter artes dissimulatio illa erat, quâ præ se tulit animum aversum à regni administratione.
lib.53.p. Τὴν μὲν οὖν ἡγεμονείαν (scribit Dio) τούτῳ τῷ τρόπῳ καὶ παρὰ τῆς γερου-
576. σίας τοῦ τε δήμου ἐβεβαιώσατο. *Hac arte*, quum se imperium depo-

posi-

positurum simulasset, *effecit, ut ei à Senatu populoque confirmaretur.* Artem arte verò, ne perplueret, texit, tegulam aliam obducens palatio monarchico, se susceptorum quidem, rogante sic & obtestante Senatu Populoque, imperiũ, sed tantùm decennale, quod artificium *Dio* itidem nobis aperuit his verbis: βουληθεὶς δὲ πόρρω σφᾶς ἀπαγαγεῖν τοῦ τι μοναρχικὸν φρονεῖν δοκεῖν, ἐς δέκα ἔτη τὴν ἀρχὴν τῶν δοθέντων οἱ ὑπέστη. τοσούτῳ τε γὰρ χρόνῳ καταστήσειν αὐτὰ ὑπέσχετο, καὶ προσενεανιεύσατο, εἰπὼν ὅτι ἂν καὶ θᾶττον ἡμερωθῇ, θᾶττον αὐτοῖς καὶ ἐκεῖνα ἀποδώσει. *Quò verò longius eos à suspicione potestatis Monarchicæ quærendæ abduceret,* imperium *in suas provincias* decennale *suscepit, hoc etiam insuper addens, si breviori spatio eas posset pacare, eo se citius imperium redditurum.* Quantum aliâs onus sit, molem regni Monarchici sustinere, exposuit Agrippa Augusto, inter alia ajens: πάντα γὰρ ἀνάγκη τὸν τηλικαύτην ἀρχὴν ἔχοντα καὶ φροντίζειν πολλὰ καὶ δεδιέναι πολλὰ, καὶ τῶν μὲν ἡδίστων ἐλάχιστα ἀπολαύειν, τὰ δὲ δυσχερέστατα ἀεὶ καὶ πανταχοῦ καὶ ἀκούειν καὶ ὁρᾶν, καὶ ποιεῖν, καὶ πάσχειν. *Necessum omnino est, ut, qui tantum gerat imperium, multis conficiatur curis & timoribus, voluptates minimè percipiat, molestissima quæque crebro & ubique videat, audiat, sentiat, agat.* Quàm esset periculosum ad Unius imperium velle transferre Romam, Oratione idem Agrippa Augusto exposuerat, cum per exempla Pompeji & Marii aliorumque, Julii Patris, tanquam potioris, historiâ concludens ait: Μέμνησαι δὲ, ὅπως τῷ πατρί σου προσηνέχθησαν, ὅτι τινὰ ὑποψίαν ἐς αὐτὸν Μοναρχίας ἔσχον. *Meministi, quæ in Patrem tuum statuerint, quod regnum eum petere suspicarentur.* Vera erant, quæ de Julii exitu dixerat. Molitus ille fuerat Monarchiam, sed quæ ei constiterat lugendo exitu. Alius jam conditor & formator Monarchiæ, & cautior exemplo, in Monarchiam iturus, ne pro eâ assequendâ spiritum poneret instar Julii, opportuniùs agit, & per blandimenta, consiliis maximè usus Mecænatis. Periculum fecit Monarchiæ condendæ, & evicit. Periculum ex Julio fecit, sibi quod ex usu fiet. In promtu erant media, vis, favor, opes, consilia. *Au*ctor potissimum per consilia reformationis instituendæ Mæcenas, & ad formam revocandi regnum, quàm fieri posset optimam, optimam autem judicârat Monarchiam. Quod si *Regni* nomen, inquit ad Augustum, ut *execrabile* reformidas, *rem ipsam* verò amplecteris, *poteris utique*

pag. 577.

Dio lib. 52. p. 538.

Dio lib. 52. p. 541.

omisso regio nomine sub Cæsaris *appellatione &* Imperãtoris, *& qua alia ultro dabunt Romani cognomenta,* potestate plena uti, ὥστε σε πᾶν τὸ τῆς βασιλείας ἔργον, ἄνευ τοῦ τῆς ἐπωνυμίας αὐτῆς ἐπιφθόνου καρποῦσθαι, *ita ut re & vi regni, absque invidia nominis regii perfruaris.* Imago quædam per simulacra speciosa libertatis pristinæ erat objicienda oculis, & nomen Principatûs, sed sine regiis insignibus, pro arcano firmandi regni obtendendum, id quod Mæcenas suggesserat consilium apud Dionem; idemque Monarchiam ita suadet, ut quidem
l.52. p. 564. penes Augustum sit potestas, πάνθ' ὅσα ἁπλῶς βούλεται καὶ ποιεῖν καὶ λέγειν, *omnia ex animi sententiâ agendi loquendique*, sed cum limitatione, ne Ἄριστοι, *Optimates*, excludantur, licet τοῦ ὄχλου ἐλευθερία,
Dio lib. 52. p. 542. *vulgi & plebis licentia* excutiatur, atque ita dirigantur omnia, ut unicuique id tribuatur quo dignus est, quod vocat, τὸ ἴσον ἅπασι κατὰ τὴν ἀξίαν ἀπονέμειν, *distribuere id quod æquum est ex cujusvis merito.* Idem Mecænas contra Democratiam ait: Τοῦ ὄχλου ἐλευθερία, τοῦ βελτίστου δουλεία. *Licentia plebis, optimi cujusque servitus.* Illa autem servitus πικροτάτη, *acerbissima.* Tuendæ majestatis imperatoriæ & potestatis sublimioris ergo Mecænas omnia cum cura conquisivit, omniaque, licet quædam subsint indecora & indigna, ob-
Dio p. 544. tegit nomine Majestatis; nec obesse quidquam, licet dicatur vi occupasse imperium, esse enim generosi animi altissima cupere, οὔτ' ἀπὸ τοῦ ἀνθρωπείου τρόπου τὸ ἐπιθύμημα εἶναι, καὶ καλὸν τὸν κίνδυνον αὐτοῦ, *eamque cupiditatem non esse ab hominis natura alienam, laboresque & pericula, quæ quærunt honorem summum, esse honesta.* Mirum in modum ingeniosus Mecænas non poterat quicquam vel lætius dicere, vel devotius porrigere, vel ad præparandam Monarchiam aptius excogitare. Derivat ex ingenio versatili dictionem omnem in commendationem Monarchiæ, & qua semita, quove sit eundum ductu. Interea unum illud præcipuum sumit, quod mysterio suscipiendæ Monarchiæ non conveniens modò, sed necessarium erat, ut principium ejus rei cautè ponatur, quò exitus dignus principio insequi queat, non minus *A*ugustum ad præcedentia quàm ad succedentia parans. In Monarchia itaque ponenda Mecænatis consilium sapiens non exclusit, nec consilium dari poterat aliud præstantius. In eo habuit ὁδοδείκτην & ductorem. In ea verò re cùm non deessent difficultates, quas cum exitio expertus fuerat Julius, plurima

erant judicia sinistra & convitia surdis auribus & cæcis oculis prætereunda, & erat sæpius connivendum. Tegit itaque, celat, dissimulat Augustus in negotio variè arduo, sciens bene dissimulare, sciens optimè regnare, nam qui nescit dissimulare, nescit regnare. Obstiterat hactenus per invidiam Antonius, unde Ægypto bellum intulerat *Augustus*, parvulum quidem cornu, sed quod cito grandescit, & evadit in caput. Tres viri, tanquam tria cornua, impugnabant Romam, sed effractis duobus cornibus, remansit unum. Cornu extulerat *Antonius*, & quibusvis viribus contenderat contra Rempublicam & *Augustum*. Vulgata facta & dicta proximè retulimus, fervidiusque studium Ciceronis, superante tunc *Antonio*, memoriâ repetimus. Cornu inflaverat Orator contra Antonium plenis buccis, monueratque Plancum: *Tu contexes extrema cum primis; qui enim M. Antonium* oppresserit, *is bellum confecerit.* Bellum id jam magna ex parte erat à Consulibus profligatum, & ut id *conficiat* hortatur; sicuti & ad eundem scribit: *Mea quidem, ut ad Te sæpius scripsi, hæc sententia est, qui reliquias hujus belli* oppresserit, *eum* totius belli confectorem *fore, quem* Te *& opto esse & confido futurum*. Ea confidentia iterum 10 Epist. 19. p. 268. *Qui Antonium* oppresserit, *is hoc teterrimum bellum periculosissimum confecerit*. Bene conjecisti, sed in Planco & Bruto erravisti, circumventus, ut homo. Confectum id erat bellum alia, quàm optasti, forma ab Augusto; & oppressus Antonius alia manu quàm Planci. Oppresso Antonio nunc, Cicero, quæ de Catiliniaria factione cum admiratione dixti, *Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quantâ virtute stabilitam libertatem, quantâ Deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox penè delerit*; admirari nunc magis memento, ab uno Augusto non deletum nomen populi Rom. sed auctum, non libertatem ademtam, sed augustiorem alia illata factā. Difficile fuerat tot annorum Rempublicam multorumque sanguine stabilitum statum commoveri, contra tot scuta & gladios novam erigi Monarchiam, & in alium ordinem redigi Rempublicam, alia libertate maximo cum commodo instituta, totque capitibus diversis excisis, aut ejectis. Hac tamen nova luce cæcutiebant animi, ut plures fuerint occulti hostes, quàm amici aperti Augusto, quod fieri amat in veterum rerum mutationibus. Si ex populari etiam multi-

10. *fam.* 13. *p.* 166.

Ep. 20. *col.* 169.

Orat. 4. *col.* 470.

tudine arguit amicorum copiam Augustus, non oblitus erat præteritorum, & in memoriam redibant Gracchorum & Catilinæ tempora. Quoti, qui populari gratia in altum levati, prementibus aliis in imum permissi sunt ruere! Quantum etiam in Populo & Vulgo inane! Certè credas hoc velim etiam in pacato jam statu Augusti, quem aut ferre non poterat populus, aut varius fuerat, sicuti in illa post victoriam Actiacam adepta pace quibusdam mœror fuerat in tranquillo vivere, pluribus bellum cupientibus; edisseritque
1. A. 3. 9. & 4. 1. Tacitus adeò domi tranquillas res fuisse, ut juniores, etiam Senes plerique inter bella civium nati superfuerint, *versoque civitatis statu nihil unquam prisci & integri moris* remansisse, plures bellum metuisse, alios cupivisse, scilicet

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Duodecim annis regnum cum Antonio & Lepido tenuerat Octavius, iisque devictis omnique superata invidia Rempublicam *solus*
7. H. p. 576. per XLIIII annos obtinuit, teste Eutropio. Sublatus fuerat *Triumviratus* devicto Antonio statim, sed cùm leni prudentia fuit conversus in Monarchiam, atque ab ultione in percussores Cæsaris
Guntherus Lig. lib. 1. v. 520. peracta,

Tunc Augustorum primus summusque Monarches,
Eximiusque nepos, pius ac fortissimus ultor,
Hostibus extinctis, crudelia Cæsaris olim
Protinus accepto diademate *fata piavit.*

Summam rerum castrensium sumserant sibi *Lepidus*, *Antonius* & *Octavius*, quam tandem *solus* post Actiacam victoriam sibi obtinuit *Augustus*, summo assensu atque omnibus suffragiis. Felix tunc ac perbeata Respublica meritò potuit dici, felixque incola Reipublicæ, cui datum fuit, sub Augusti unius vivere præsidio. Felix illa fuit nova libertas, felix Libertatis assertor Augustus, in quo *Uno* & *Solo* publicæ omnium & privatæ singulorum fortunæ versabantur;
Boecl. Diss. ad Suet. p. 29. nam ab illo Actiaco prælio *nova fati publici series*, *nova Cæsareani operis æstimatio se emergit, quâ factum est, ut, qui in adipiscendo Principatu* Libertatis oppressor *habebatur*, *in gerendo prorsus* necessarius Reipublicæ, *prorsus* salutaris *existimaretur. Scilicet rebus turbatis turbantur judicia hominum, nec nisi post eventum divina intelligitur constitutio.* Portum attigit Augustus Actiaca pugna, assequutus tandem,

tandem, quod tot laboribus secutus fuit. Scopus verò, ad quem tendit, fuit *Monarchia*, cujus non aliunde melius instituitur initium, quàm ab *Actiaca* hac victoria, à qua pleno gressu in alium statum, quem diu quæsiverat *Augustus*, ivit Respublica, quæ hactenus nondum plenè componi poterat ad imperium Unius, τότε γὰρ πρῶτον, ait Dio diem *Actiaci* prælii signans, ὁ Καῖσαρ τὸ κράτος πᾶν μόνος ἔχεν, ὥστε καὶ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶ τῆς Μοναρχίας αὐτοῦ ἐτῶν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι, *nam ab ea die primùm Cæsar Octavius rerum potitus est solus, imperiique ejus recensio præcisè sumitur ab hac die.* lib. 51. init. p. 506. *Ab* illa demum victoria μοναρχεῖσθαι ἀκριβῶς ἤρξατο, *verè incepit regnare solus*, ait initio lib. 52. p. 532. Monarchia & potestas imperii illa summa, quæ orta contra voluntatem S.P.Q.R. fuerat in Julio Cæsare ejusque nece videbatur eversa, convaluit & iterum stabilita fuit in Octaviano Augusto, toto orbe tam feliciter pacato, magna omnium admiratione. Monarchiam à Julio cæptam, sed casu tristi dejectam, resuscitavit, de integro interpolavit, novam formam poliendo dedit, nec nisi beneficio optimi Principis revixit Monarchia, qui rebus humanis præfuit cum majestate felix Monarcha, perfunctus officio multa cura, ingentes labores sustinens, pervincens, de qua redintegratione Augustinus: *Augustus contentiosam & exitiosam, & planè jam enervem ac languidam libertatem omnimodo extorsit Romanis, & ad Regale arbitrium cuncta revocavit, & quasi morbida vetustate collapsam, velut instauravit ac* renovavit *Rempublicam.* 3. de Civ. Dei 21. col. 198. T. 5. Sarcitur, quod collapsum fuerat, advigilante Augusto, operante post Julium, ut Monarchia resuscitaretur, & teneretur vinculo solidiori talis aliqua summa potestas, quæ post Dei immortalis potestatem inter homines seipsa majorem non agnoscat. Exemplum ejus absolutæ potestatis habemus jam florentis in augustissimo *Augusti* imperio, qui Majestatis jura sibi artificio singulari acquisivit, vix sentiente Populo, ad quem tractandum longè erat mollior Julio. Tristis quidem erat dies ille, quo initium imperii sumebat Augustus à Triumviratu, inito 5 Kal. Decemb., labente anno tertio Juliano, ex calculo Jac. Christmanni. Lætum verò erat, bonis plaudentibus, initium Monarchiæ ab *Actiaca* victoria, qui meritò dies albo notandus calculo, cum ab eo calculum ducant Monarchiæ Chronologi, notante Scaligero. Oligarchia tunc *in Alfragan. p. 177.* *5. de Em.*

triumvi-

Temp. p triumviralis feliciter versa ad dominatum Unius, de qua mutatione
453. subita Tacitus: *Pompeji Crassique potentia cito in Cæsarem; Lepidi*
1. A. 1. 3. *atque Antonii arma in Augustum cessere.* Idem Tacitus primo Hi-
cap. 1. 2. storiarum: *Bellatum apud Actium, atque omnem potestatem* ad Unum
c. 10. 4. *conferri pacis interfuit.* Primo Annalium: *Non aliud discordantis Patriæ remedium, quàm ut* ab Uno *regeretur.* Eam tum temporis fuisse rei Romanæ conditionem disjectam, ut saluti publicæ remedium non melius fuerit, quàm ut *ab Uno* regeretur, Tacitus judicavit; *Pacis interfuit,* ait, *omnia ad Unum referri,* Judicium hoc Taciti admittunt Politici, deque eo post Forstnerum laudatum, qui de eo disquirit, agit Cl. Boeclerus Diss. ad Sueton. p. 29; & Comm. *ad Tacit An.* 1. 9. *p.* 153, 154, 155, 156, in cujus fine ait: *Non nunc pars Imp. Rom. aut Civitas discordiis commota aut concussa, sed universum Imperii corpus convulsum erat ac dissipatum, ad quod componendum longè majori tempore & mora opus fuit quàm Dictaturæ. Strenua remedia morbis maximè vehementibus adhiberi solent. Iam inter omnes imperandi formas præsentissima est* Vis Monarchiæ, *quæ nervum disponendi ordinandique in manu habet; quæque, non ut cætera regiminis genera efficaciæ suæ robur à multis momentis suspensum agnoscit, sed potius ipsa à se omnia actus momenta suspendit dispensatque.* Unus ille
lib. 53. p. fuit *Augustus,* sub quo ἡ πολιτεία, judicio Dionis, πρὸς τὸ βέλτιον καὶ
583. πρὸς τὸ σωτηριωδέστερον μετεκοσμήθη, *Respublica in meliorem salubrioremque formam fuit ordinata;* nec aliter fieri potuisse, disserit Lentulus in Principe absoluto p. 389, 390. Commodè itaque summa
Florus 4, rerum rediit ad Octavium, qui *sapientia sua atque solertia perculsum*
3. 5. p. 353. *undique & perturbatum ordinavit imperii corpus, quod ita haud dubiè nunquam coire & consentire potuisset, nisi* unius Præsidis *nutu, quasi anima & mente regeretur.* Felicem itaque te Præsidem, Auguste, in comparando Monarchico statu; quum omnia tandem tibi per partes vindicares, quæ olim Senatus Populique arbitrio regebantur! Inde Taciti scita verba, *insurrexisse* paulatim, *munia Senatus, Ma-*
1. Ann. 2. *gistratum, Legum in se traxisse.* Trahendi artes novit, novit tractare vias regnandi, *nullo adversante, cùm ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent; cæteri Nobilium, quanto quis servitio promtior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa mallent. Insurgere paulatim* ait Tacitus,

citus, lentâ enim festinatione plus efficere se scivit, quàm periculosâ
Julii præcipitantiâ, & cum tempore & occasione effecit, quod im-
petu facere nequivit. Hoc cato artificio instruxit Mecænas Augu- *lib. 52. p.*
stum apud Dionem, ne *simul omnia* (πάντα ἁπαξαπλῶς) faciat, quæ *563.*
possit; nec neglexit Augustus, τὰ μὲν παραχρῆμα μεταϰοσμήσας, τὰ δ'
ὕστερον, *quædam actutum disponens, quædam alio tempore*, prout oc-
casio blandiebatur. Variis artificiis Resp. ad Monarchiæ susceptio-
nem erat præparanda, in quam deinde fuit facilè Monarchicam in-
troducere formam, postquam enim, Tacito memorante, *Bruto &* *1. An. 2. 1.*
Cassio cæsis nulla jam publica arma, Pompejus apud Siciliam oppres-
sus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem parti-
bus nisi Cæsar Dux reliquus, posito Triumviri nomine Consulem se
ferens, Tribunitio jure contentus paulatim & lentè ad se traxit omnia.
Tribunatus Plebis, magnum erat ad potentiam in Rep. momen-
tum, quo poterat modo molliori brachio acquiri summa potestas.
Laneis ille incedebat pedibus, placebatque illi, unde illum agno-
sces, symbolum: *Festina lentè*. Festinabat cum impetu Julius, totis-
que agebat viribus, ut eò citius perderet regnum. Diurnat Augu-
stus, cautè cavet, vario complexu regnum ambit, diuturnum acci-
pit, idque lentâ diligentiâ. Scitè Seneca Consolatione ad Marciam
cap. 12. p. 607: *Nulli ferè & magna bona & diuturna contingunt.*
Non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas. Contigêre cum
lentâ felicitate Augusto & magna & diuturna bona, de die in diem
adjuncta, tactoque ingenti hinc cumulo tandem, & ad extremum
sensim infracto populi Iure, ut loquitur Cujacius, *Provincias omnes* *7. Obs. 3.*
sibi seposuit Princeps. Non certè erat ea Monarchiæ conditio, ut *p. 148.*
facilè erigeretur; & ad introducendum in novâ gubernationis sce-
nâ plenum rei dominium opus erat ingenio heroico, indole saga-
ci, judicio perspicaci, *ne uno ictu, quod periculosum erat, populus*
libertate sua desuesceret, quod ait Sithmannus. Artis summæ erat *Spec. Imp.*
transformare & convertere statum, quod eleganti verbo μεταρρυθ- *R. c. 11. n.*
μίζειν Dio exprimit, eumque firmiter connectere. Connexum *42. p. 198.*
corpus imperii Pace, tanquam consecutionis necessitate, gavisa est *l. 52. p.*
beatissimâ, quod mireris, nam ut post gravem maris tempestatem, *541.*
ventis quiescenti bus, fluctus solent desidere; ita stabilito imperio
omnes passim discordiæ quieverunt; quam felicitatem temporum

Deus effecit, simulque novam istam Monarchiam humani generis Servator Christus salutari suo in hunc orbem adventu decoravit. Dei hîc providentiam agnoscamus & veneremur, quem hîc Rectorem esse & administratorem rerum maximè perspicuum est, ipsis etiam Ethnicis agnoscentibus Deum, calamitatibus orbis subvenientem. Providentia divina *ad domanda gravia mala multarum gentium* miraculosè fere incrementa Reip. Romanæ dedit, quæ

5. de Civ. D. 12. col. 308.

vera est censura Augustini. *Deus*, si destinatus finis adest mutandi, moderatur mirè occasiones rerum gerendarum, ut nesciverint Romani suarum virium infelicitatem metiri; neque intellexerint mutationes, ut vel *fortunæ* vel *casui* tribuerent; nimirum sua consilia, quæ sibi pulcherrimè instituisse videbantur Antonius atque Pompejus, cùm pessum ivisse animadverterent, vel ad *cæcam fortunam*, vel *casus*, vel *fatum* referebant, non considerantes tum istam animi humani circa honestas actiones, etiam merè politicas, imbecillitatem ac vanitatem; tum speciatim, Deum sæpe voluntates hominum, præter ipsorum propositum, ad eos fines, quos ipse constituerit, arcanâ ratione inflectere; nec semper sequi illos eventus, quos, etiam Cicerones prudentissimi, sibi proposuerunt. Imminebat tandem Deo rem agente *conversio status & inclinatio communium temporum*, (verbis dicam Ciceronis) ut forma Reipublicæ in

Orat. pro domo col. 578. *de quatuor sum. Imp. p.* 22. *lib. 1. p.* 198. *5. Chron. Cath. p.* 69. *2. bell. civil. p.* 473.

aliam mutaretur. Tenuis & propè despecta *Populi Rom.* imò ferè infamis, fuit origo, *sed quia* Deus *ita constituit, in summam excrevit potentiam*, ait Schleidanus. Romanos occasione Punici belli primi ad occupandum orbis imperium invitatos fuisse ait Polybius, non autem destinatione animi certâ id esse molitos; monetque rectè Casaubonus, adscendere nos debere *ad causam causæ*; Dei enim providentia, quam historici *occultam vim fatorum* dicere solent, Romanos ad orbis imperium vocabat, eumque in finem omnes successus belli dirigebat, quod cum Cl. Simsonio statuimus. Dei consilium miratur meritò in variâ fortunâ Julii Cæsaris Appianus, Pompejo quidem Julium malè mulctante Dyrracchinâ clade, sed tandem mirè eluctante, ubi ille ait Historicus admodum egregiâ sententiâ: Ἀλλὰ τάδε μὲν ᾠκονόμει Θεὸς ἐς ἀρχὴν τῆσδε τῆς νῦν ἐπεχούσης τὰ πάντα ἡγεμονίας. *Verùm id Dei hac dispensatio fuit, cujus voluntate potentissimum hoc, quod nunc quaquaversum patet, imperium*

rium constitit. Divini operis res est illa rerum Romanarum conversio, in quâ Dei consiliis proposita Augusti, Deo sic disponente, inservierunt in bonum lætumque regni altioris finem, nec non Judaicarum rerum immutationem. Sic cuilibet, legenti res imperiorum eorumque mutationes, deveniendum est ad *Dei* singularem circa Imperia providentiam, cujus arcana, in paucissimis deprehensa, in plerisque latitant, humanis judiciis impervia. Deo dante regnum, nemo regnum auferet; quod verò Deo non dante arripitur, aufertur; unde prudenter Imp. Antoninus Philosophus apud Vulcatium: *Si Cassio divinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus.* *c. 2, p. 307.* Miram providentiam Dei, orbem Romanum vertentis & in statum solidiorem locantis, prædicat Appianus, cujus hoc est memorabile judicium: Καὶ τάδε ἐγίγνετο, οὐκ ἐν ἰδιώτιδι πόλει, οὐδὲ ἐν ἀσθενεῖ καὶ σμικρῷ βασιλείῳ, ἀλλὰ τὴν δυνατωτάτην, καὶ τοσούτων ἐθνῶν καὶ θαλάσσης ἡγεμονίδα διέσειεν ὁ θεὸς, ἐκ πολλοῦ ἄρα ἐς τὴν νῦν καθιστάμενος εὐταξίαν. *4. p. 598.* *Atque hæc eveniebant non in vulgari urbe, aut parva minusve potente regia; sed potentissimam tot gentium terraque & maris dominam Deus ita concussit, dum veluti per ambages ad præsentis status disciplinæque decus eam provexit, atque in solido locavit.* Quis verò inter hæc actuum tragicorum præludia non agnoscat, isto præprimis tristi crudelique Triumviratu, *Deum* ad novæ pacis statusque firmitatem, per dissimillima omnia, viam aperuisse, atq; vertisse etiam ipsam tyrannidem in salutem orbis Romani. Optimè itaque istam Status mutationem consectantur, qui hærent in *Dei*, si Christiani sunt, aut Deorum, si Ethnici, admiratione. Habenas Romani Imperii, quas continuerat hactenus Senatus Populusque Romanus, sub alia Regiminis formâ capere debuit Augustus, isque virtute duce, comite fortuna, maxima cum gratia & gloria, omnia summa, honores, opes, dignitates, fasces, sceptrā, orbem per se ipse, Numine aspirante, consecutus est. Deorum munus hoc agnoscit Mecænas, dicens: Θεοὶ ἐλεήσαντες τὴν πατρίδα, καὶ ἐπιγνώμονα ΣΕ καὶ ἐπιστάτην αὐτῆς ἐπέστησαν. *Dii patriam miserati, Ei TE Rectorem & Magistrum dederunt.* *orat. ad August. p. 543 in Dione.* Ipsi Ethnici Deos immortales rerum humanarum agere curam, maximè cùm mutantur, putarunt, parique modo, cùm Augustus ad ultimum honorem magno consensu felicitatis eveheretur, Deus illum deduxisse putandus erat. Si

Ethnici tàm reverenter de DIIS sentiunt, quid non decet nos Christianos? Sistenda sunt hic, quæ piè in hanc rem disserit Cl. Vir Boeclerus *Diss.* ad Suet. p. 29. *Immersus jam erat tantarum rerum mole Cæsar, & in summâ confusione, nil consiliis, nihil virtuti hominum relictum videbatur, cum DEUS, cæteris oppressis, Cæsaris arma inusitato felicitatis cursu provecta, instaurationi Reipublicæ accommodavit.* Et paucis interpositis: *Quantum est, quod DEO debetur in ejusmodi mutationibus? Ab hoc ego arcessiverim, quod Cæsar Octavius adepto Principatu, quicquid habuit malarum & tyrannicarum adversus Remp. artium, deposuit, totumque se amandis, tuendis, ornandis civibus non dicavit modò sed impendit, ut satis constaret,* divino quodam munere *in melius mutatum & formatum tantum Principem, qui omnia in lætiorem & salubriorem statum verteret.* Iterum pag. 31 monet æstimandum esse Principatum Augusti *ex divinæ dispositionis moderamine,* quod *interioris notæ* τεκμήριον verè commendat contra eos, qui in superficie hærent ad incessendam Cæsaris potestatem nomine Tyrannidis, ubi merentur legi, quæ in hanc rem scitu digna habet, ne vitia tribuas dispositioni divinæ; recteque fuerat ab eo monitum antea p. 30, multa evenire, quæ *à Deo,* nisi *pœnæ nomine,* deduci non debeant, nunc verò concludit. *Conciliatio animorum, & forma Principatus, & dispositio Imperii pulchrè ad civilem sapientiam, pulchrè ad publicam fælicitatem, congruebant,* DEO sc. moderante, *qui tantâ prudentiâ ordinandæ & componendæ Reipublicæ Augusti animū implevit; qui consiliis exitum, provisionibus successum dedit; qui deniq; si quid labis actionibus hæsit, si quid vitii curis Principis se immiscuit, ad meliores publiceque lætos fines omnia tamen accommodavit.* Idem Dn. Boeclerus d. Diss. p. 47. *Deus artem imperandi in Augusto, quem tanti conditorem Imperii destinaverat, supra modum usitatum voluit eminere.* Piè itidem Cl. Cyr. Lentulus de arcanis Regn. & Rerump. c. 4. p. 36. *Quærenti causam tanti motus & translati Imperii è Senatus Populique manu ad Unius voluntatem, simpliciter responderi potest, adfuisse tempus revolutionis, & DEO, in cujus manu regna sunt & eorum dispositiones, ita visum esse.* Tenues lineas duximus Monarchiæ, idque languido sermone, neque enim novimus ejus mysteria omnia explicare; atque nunc discedimus ad fortunam Aulæ Monarchicæ.

14. Opti-

14. Optimè meritus de Patriâ totoque imperio singulari diligentiâ, consilio atque prudentiâ *in Vrbe & Provinciis* omnia sapienter & justè constituit, ad communem usum conservandi & amplificandi Regni usus potissimùm *Mecænatis* & *Agrippæ*, nec non *Iureconsultorum Prudentumque responsis & consiliis*, quos in maximis rebus adhibuit optimos Consultores fidosque Ministros.

REgna in Dei manu sunt, fixusque est à Deo cuique Regno suus terminus, qui manebit, ubi positus est, nec illum ulterius diligentia humana, aut πολυπραγμοσύνη, aut gratia vel ferocia promovebit. Sapientissimus Salomon ait: *Homo non potest invenire opus, quod facit* Dominus, *nec initium, nec finem.* Ubi prudens Vir P. Melanchthon scribit: *Non est humani consilii* sine vocatione & sine auxilio Dei *eligere tempora felicia.* Brutus, Cicero, Hircius, Pansa, *cogitant restitui posse Veterem statum Reip. Romanæ, & falluntur, & semper hoc modo multi decepti sunt, & decipientur.* Pari judicio D. Georgius Major: *Antonius, Cassius* & *multi alii appetebant eum locum in Imperio Romano, quem Iulius tenuerat, viderant illius exemplum, & existimabant, se suis consiliis & apparatibus posse consequi eadem, quæ ille adeptus fuisset. Quia verò* Deus *non adjuvat Antonium & cæteros, non solum frustrantur sua spe, sed etiam sibiipsis exitium accersunt, & implicant Rempublicam perniciosis bellis.* Parens regnorum *D*eus Augustum tradidit sceptro, cui & magna concessit dona, & felicia tempora, & felicem eventum. Deus armat Augustum certâ potestate, circumdat autoritate divinitus, contra vim Antoniorum & Cassiorum munit, fortunat successum. Summa universæ

Eccles. 3. 11.

Tom. 3. *Oper. p.* 662.

versæ fælicitatis in regno *Augusti* à summo Rege DEO est, & quidquid obvenit, *ex Dei præd-stinatione* habet, ut loquamur cum Orosio, qui Prædestinationis divinæ immutabili assignat necessitati Augustæum imperium, neumq; ait in Imperatorem, ad orbem Romanum summâ majestate regendum, Augustum *prædestinasse*, (hoc enim termino laxiùs sumto non semel utitur) idque Christi magis manifestandi in salutem totius orbis gratiâ. *Quid fidelius ac verius credi ac cognosci potest*, inquit, *concurrentibus ad tantam manifestationem Pace* (Jano tunc clausô) *nomine* (sc. Augusti) *die* (VIII Id. Januar., quo Ecclesia Epiphania Domini observat, Augustus autem eodem die apicem imperii accepit) *quàm hunc* (Augustum) *occulto quidem gestorum ordine ad obsequium præparationis Ejus* (Christi) *prædestinatum fuisse, qui eo die, quo ille* (Christus) *manifestandus mundo pòst paululum erat, & pacis signum prætulit, & potestatis nomen adsumsit?* Deinde libro sexto c.22.p.544. *Cæsarem tantis mysteriis* prædestinaverat *Deus, qui* censum *agi singularum ubique provinciarum, &* censeri *omnes homines jussit, quando & Deus* Homo *videri & esse dignatus est.* Demum libro septimo c.1.p.570: *Christi adventui* prædestinatam *fuisse Imperii Romani* pacem *sufficienter ostendisse me, arbitror.* Eandem *Dei* prædestinationem cum Orosio Otho Frisingensis describit: *Cùm Dominus Civitatem suam dilatare vellet, in gentibus, quas ad fidem suam vocaturus erat,* Regnum Romanorum, *quod cæteris dominaretur, constituit, quod, dum ad optimum statum summumque Imperii apicem profecisset, Christus, Filium suum carnem suscipere voluit.* Agnoverunt *Dei* hìc prædestinationem ipsi Ethnici per monita etiam *Prodigiorum* & *Præsagiorum*, in quâ re, ne itidem desimus, curabimus, cum de illis magna sit cura Suetonio, qui septendecim præsagia enumerat c.94 p.146 usque ad p.150, per quæ magna Augusti felicitas prænosci potuerit. Unum Ciceronis notabimus, qui C. Cæsarem in Capitolium prosecutus somnium pristinæ noctis familiaribus narrabat, *puerum facie liberali demissum* cœlo *catenâ ad fores Capitolii* constitisse, eique *Iovem* flagellum tradidisse. Repente autem viso Augusto, quem ignotum adhuc plerisque Avunculus Cæsar ad sacrificandum acciverat, affirmavit ipsum esse, cujus imago *secundum quietem* sibi obversata fuerit. Idem retulit somnium DIO lib.45 p.306. Ejusmodi etiam

Marginal notes: 6.10.p. 537; 22. p.544. — l.6.c.20. p.537. — 4.Chron. c.4.f.43. — p.149.

etiam præſignatum imperium ex ſomnio ſigilli publici, *à Iove* traditi in ſinum Auguſti Suetonius notat, *ſignumque Reipublicæ* nominat. Somnium διόπεμπτον Dio ad conciliandam Auguſto majorem, quàm hominum futura eſt, fortunam recenſet, Attia Matre etiam atque etiam aſſeverante, *ex Apolline ſe* præſentem ſuum infantulum *concepiſſe*, ἐκ τοῦ Ἀπόλλωνος κεκυηκέναι, inſuperque ei ſomnium, dum geſtaret partum, obveniſſe de inteſtinis *ad cælum uſque* ſeſe explicantibus, indeque iterum ſeſe demittentibus ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, *ſupra univerſam terram*. Divinæ deſtinationis conſilia arguunt, & altioris cauſæ momenta, quæ hîc finguntur. Prædeſtinatione cæleſti Deique deſtinatione atq; dignatione *A*uguſtus ſuper multa regna eſt conſtitutus. *D*eo architecto Monarchia Romana cæpit ſtrui; jacta Deo dirigente ab Auguſto fundamenta Monarchiæ magno cum labore; nihilque reſtabat, niſi ut ſtructura fulciretur. Dignum profectò Auguſto, dignum Imperio ædificium. Fortuna Aulæ Monarchicæ inter magnas variaſque curas maxima fuit. Ut in Monarchiâ extruendâ diligens erat Auguſtus, ita ad illud ædificium exornandum ac augendum erat vigilans; grandium quippe regnorum grandes ſolent eſſe ſtructuræ, atque curæ. Nunc, poſt varias curas & difficultates, propinquabant tempora, ut Monarchiâ conſtitutâ magis ad metendas quàm ſerendas fruges Auguſtus conſilia ſua compararet. Sicut non defuerat ad ſerendũ Mecænas, ita non deeſt ad metendum. Aderat ad comparandum, adeſt nunc ad augendum & colligendum. Vidimus, quàm ſæpe Mecænatis adhortatione adductus fuerit Auguſtus ad Monarchiam, quamvis formidaret Agrippa, qui eam non minus timebat quàm damnabat. Nunc eadem eſt mens utrorumque, nunc idem eſt ſermo, quum antea ſuaſiſſet alter, ut Rempublicam redderet; alter, ut mutaret. Fructus jam erant congregandi; utendum erat meſſe, utendum victoriâ, victoriæque laus erat concilianda ex moderatione bonâque Pacis diſpoſitione, nec erat alius aptior *Mecænate* rebus, quæ ad tranquillitatem & firmitatem imperii eſſent, dirigendis; nec gratior rebus expediendis *Agrippâ*. Non eſt aliud in rebus regni adminiſtrandis ſalutarius, quàm ſapientum & diſertorum Virorum conſiliis idoneis uti, maximè turbulentis & difficillimis regni temporibus, ubi neceſſe eſt, adſit Imperatori aut Regi vel Neſtor aliquis,

c. 94. p. 148.

lib. 45. p. 306.

gravis, vel fidus Achates, vel Prometheus prudens, qui *cautis potius*
Tacit. 11. *quàm acrioribus consiliis* potentiam tutetur. Conditor Imperii Mo-
A.29.2. narchici Augustus Romam ut tueretur stabiliretque, non tam *Mi-*
litibus quàm *Consiliariis peritis & prudentibus*, uti debuit, Armis e-
nim Leges & Legibus Arma erant socianda. Consiliorum dexteri-
tate regna agunt fæliciter. *Omnia Regna, Civitates, Nationes, usque*
eo prosperum imperium habuêre, dum apud eos bona consilia *value-*
ad Cæs. p. *runt*, ait Salustius Epistolâ alterâ ad Jul. Cæsarem de Republicâ or-
127. dinandâ. Dare in medio rerum ardore mediâque pugnâ Regi aut
Imperatori consilium *factum* est *arduum*, quippe cùm & illis *Con-*
sultorum copiæ adsint; *neque de futuro quisquam satis callidus, satis-*
pag.123. *que prudens sit*, ut loquitur idem Sallustius Epistolæ ejusdem ini-
tio. Vis prudentiæ misturâ usui est, nam quæ *consilii expers* est, *mo-*
3. Carm. *le ruit suâ*, dicente Lyrico. *Non viribus*, ait Cicero, *aut velocitatibus,*
4. v 65. *aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, authoritate*
de Senect. *& sententiâ.* Consilium jungi debet fortitudini, quam acuit & pro-
col.544. movet in majus, adeò ut Tacitus judicet, *majora summis consiliis,*
13. A. *quàm telis & manibus geri.* Fortitudinem prudentiæ singularem in
6.5. Augusto licet videre, quam ut magis excoleret, seseque invictum
magis redderet consiliorum propugnaculis, adscivit Consiliarios,
arte & marte valentes, quorum maturis consiliis, gravi authoritate
& prudentia omne robur superaret. Omne tulêre punctum *Mecæ-*
nas & *Agrippa*, optima mente constituti, consiliis felices, consor-
tio rerum secundarum adversarumque fideles. Omni cura studio-
que providit Augustus, ut eruditione, prudentia atque integritate
spectatos Viros sibi acquireret, quibus Regni cura tutò demanda-
ri possit. Esto primus *MÆCENAS*, cui innatus quasi quidam
fuit ardor in literas, favor in literatos, candor in *Augustum*, con-
sueta facilitas, comitas & benevolentia erga omnes ferè cujuscun-
que statûs homines. Genus initio non prætermimus, quia autorita-
tem conciliat. Regium genus Mæcenati fuit, cui atavus Cæcinna,
Rex Etruriæ, Pater Menodorus, qui Cæsari contra Pompejum af-
1. Od. 1. fuit. Regium hoc genus aliquot in locis prædicat Horatius, uti;
v.1. *Mæcenas atavis edite Regibus.*
3. Od. 29. *Tyrrhena Regum progenies.*
v.1.

Et

Et Propertius 3. Eleg. 7. v. 1.

Mæcenas Eques Etrusco de sanguine Regum.

Equestri genere claruit, unde *Equitum decus* Horatio 3. Od. 16. v. 20; *Equestri, sed splendido genere natus* Vellejo. *Carus Eques* Horatio 1. Od. 20 v. 5, ubi eum invitat ad convivium, Genio favente, de quo carmine, præteritis aliorum explicationibus, vide agentem Petrum La Sena, Ictum Neapolitanum, in Cleombroto Romæ edito. Præstantis sic stemmatis fuit Mecænas, præstantioris fidei, majoris doctrinæ, ingenii & autoritatis, quæ omnia digna sunt tanto Regni ministerio. Sententia semper gravis & plurimi habita, quam dederat Augusto, qui monita ejus condidit intimo pectori, rebusque secretioribus adhibuit, adeò ut in occultissimis rebus, exempli gratia de Agrippa aut vitâ tollendo aut ad Consulatum provehendo, aurem adhibuerit. De secretiori Augusti Consilio, quod *sanctius* vocare solent, verba hic notamus Bodini: *Augustus, qui in gerendâ Republicâ parem habuit neminem, præter Senatum, quem sexcentis Senatoribus compleverat, sanctius consilium* XX *Virorum selegerat, ac præterea* Mecænatem *&* Agrippam *sibi familiares & amicos, quibuscum Imperii arcana communicare solebat; nam cùm dubitaret pacatâ Rep. post Actiacam victoriam imperium retineret necne, Mecænatem & Agrippam adhibuit ad consilium, præter eos neminem. Illud est quod innuit Cassiodorus de arcanis Principum, arduum nimis esse, Principis meruisse secretum.* In partem itaque curarum principalium venêre potissimum *Mecænas* & *Agrippa*, quos duos maximè extulit, secretorumque participes fecit. Intimos hos duos habuit, illorumque arbitrio secretiora tractavit. Intimum habuit Mæcenatem, ac sua consilia illi credidit omnia, quia taciturnitatem amavit; nam de eo *Aurel.* Victor; *Erga cives clementissimè versatus est. In amicos fidus exstitit; quorum præcipui erant, ob taciturnitatem* Mæcenas; *ob patientiam laboris modestiamque Agrippa.* In Mecænate tot virtutibus præluxit *taciturnitas,* quamvis aliquando impegerit, eamque in eo desiderârit *Augustus,* quum uxori credidisset arcanum, sic enim Suetonius: *Desideravit nonnunquam, ne de pluribus referam, & Marci Agrippæ patientiam, & Mecænatis taciturnitatem; cùm hic secretum de comperta Murenæ conjuratione uxori Terentiæ prodidisset.* Lene tormentum fuerat Terentia, fidiculâ extorse-

[Margin notes: 2. 88. p. 78. — p. 108. — Dio lib. 54. p. 600. — 3. de Rep. 1. p. 394. — p. 625. — c. 66. p. 124.]

torſerat arcanum, illaque illud prodiderat. Nubecula hæc non obvelabit cæteram laudem. Propius ad laudem Mecænatis fuerit quod eum vocat *Cæſaris dextram & Romanæ Vrbis vigilem* Pedo Albinovanus Carm. *in Obit. Mec.v.*14. *Vrbis custodem* v. 27. Prudentiſſimus omnium erat, & ad negotium reformandæ Reipublicæ
Comm. in Ann. Tac. p. 160. aptiſſimus, quem Cl. Boeclerus vocat *Architectum Monarchiæ & Repertorem Regiarum artium*, cujus virtute quanta ſuſtinerentur quotidie, non incertum erit ei, qui Dionem legerit. Omnis dies labor fuit, nec dies ſine conſilio ſalutari. Expendamus & inſpiciamus acumen, quo ſingulari diligentiâ arcanas ſcripturas per notas
lib. 55. p. 633. & characteres effinxit, de quibus Dio: ὁ Μαικήνας πρῶτος σημεῖα τινὰ γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε, καὶ αὐτὰ διὰ Ἀκύλου ἀπελευθέρου συχνοὺς ἐξεδίδαξε. *Mecænas primus notas quasdam literarum excogitavit, ut celeritati ſcribendi ſubveniret, quam artem miniſterio Aquilæ liberti multos edocuit.* Ab ea peritiâ commendat Aquilam libertum Iſidorus 1. Orig. 21. col. 836. Diverſa & magna præſtitit, etiam ſuis diſcriminibus egit atque mutavit varia. Mutatus in conſiliis habendis modus, ut omnia commodiùs penes unum & ab uno eſ-
lib. 53. p. 583. ſent; ἐκ δὲ δὴ τοῦ χρόνου ἐκείνου, ait Dio, τὰ μὲν πλείω κρύφα καὶ δι᾽ ἀπορρήτων γίγνεσθαι ἤρξατο, *eoque ex tempore mutationis Reip. pleraque cæperunt occultè & per arcana agi*; cùm antea inter Senatum & Populum omnia communicarentur, atque, quod dignè locutus fuit Ci-
3. Off. 9. col. 522. cero, *honeſta Viris bonis, non occulta* quærerentur. Quas autem non ſenſit operas Mecænatis, vel Auguſtus, vel Senatus aut Populus? Multum detulerat Mæcenati Auguſtus, multum ab eo Miniſtro poterat tolerare, multum apud eum Miniſter poterat impetrare, ὥστε πολ-
Dio l. 55. p. 633. λοῖς καὶ τιμὰς καὶ ἀρχὰς δοῦναι, οὐκ ἐξεφρόνησεν, ἀλλὰ τῷ τῶν ἱππέων τέλει κατεβίω, *adeo ut multis honores & Magiſtratus conferret; animo tamen nihil elatus, in ordine equeſtri vitam exegit.* Documenta hæc ſunt Imperatoriæ in ſe fidei, ſuæque poteſtatis atque modeſtiæ. Tene, quantum poteſtatis fuerit atque autoritatis, ut, quò ipſum Au-
Dio lib. 55. p. 632. guſtum vellet, duceret, & abſentis locum in tanto imperio ἐπὶ πολὺν χρόνον, *per longum tempus*, aliquando teneret, ac dicente *Dione*,
lib. 59. p. 459. τὰ ἄλλα τὰ ἐν τῇ πόλει, τῇ τε λοιπῇ Ἰταλίᾳ, *reliquas res non Romæ modo, ſed per totam Italiam* adminiſtraret. Quantum fides hujus ac la-
6. A. 11. 3. bor ad exitus ſecundos extulerint, arguunt itidem illa Taciti: *Auguſtus*

gustus bellis civilibus Cilnium Mæcenatem Equestris Ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præposuit. Quid adjumenti & dignitatis recta attulerint studia Mecænatis ad novum statum, videbimus porrò, ut constet rem Romanam sine sapientia & consilio, & sine Philosophiæ sive morum & virtutum studiis regi commodè non potuisse. Magister statûs & Secretarius dominationis instituendæ fuit Augusto, cui libertatis imminuendæ & dominatûs stabiliendi formulam dictavit apud Dionem. In parte erat consilii, ut ipse crearet Magistratum, quum illud esset inter præcipua Imperii jura. *lib.52.p. 544.* Αὐτὸς μέντοι σὺ πάντας αὐτοὺς αἱροῦ, καὶ μήτε ἐπὶ τῷ πλήθει ἢ καὶ τῷ δήμῳ *p.546.* ἔτι τινὰ αὐτῶν ποιήσῃς, (στασιάζουσι γάρ) μήτε ἐπὶ τῷ συνεδρίῳ, διασπουδάσονται γάρ. *Ipse autem eos Magistratus constitues, neque vel populo creare permittes, nè factiosè res & contentiosè geratur; vel Senatui, ne per ambitum petantur.* Inter varia schematis Monarchici præcepta, ad potestatem majorem facientia, non incongruum fuit Mecænatis consilium, provocationes ab aliis Magistratibus ad Principem factas esse admittendas: Μήτε γὰρ αὐτόδικος μήτ᾽ αὐτοτελὴς οὗτως τις *Dio lib.* τὸ παράπαν, ὥστε μὴ οὐκ ἐφέσιμον ἀπ᾽ αὐτοῦ δίκην γίγνεσθαι. *Nemo enim* *52.p.557.* *quiquam tanta in judicanda potestate esse prorsus debet, ut non ab eo provocari queat.* Observavit hoc *Augustus*; non observavit Caligula, qui *Magistratibus liberam jurisdictionem, & sine sui appellatione,* *Suet.c.16.* *concessit.* Postea Nero *omnes appellationes à Iudicibus ad Senatum fieri voluit.* *p.234.* *Suet.c.17.* In consilio præterea Mecænatis fuit, ut Augustus μετὰ τῶν ἀρίστων, *cum optimatibus,* omnia quæ ex usu sint, decerneret, atque *p.332.* *Dio lib.* ita cum eis, non tam ea quæ pacis, quàm belli sint, communi sententiâ res conficiantur, μηδενὸς τῶν πολλῶν μήτ᾽ ἀντιλέγοντος αὐτοῖς, *52.p.542.* μηδὲ ἐναντιουμένου, *neque contradicente, neque repugnante quoquam ex populo.* Tutiori sceptro gubernacula esse, si Ministri ita tractentur, ne ob officia majora & diuturniora spiritus attollant, ejusdem Mecænatis fuit consilium, *longiora enim imperia,* ait, *& diuturniora multis spiritus attollunt, & ad rerum novarum molitiones præcipites ajunt,* ὅτι αἱ μακρότεραι καὶ πολυχρονιώτεραι ἀρχαὶ ἐπαίρουσι πως πολ- *Dio l. 52.* λοὺς, καὶ εἰς νεωτεροποιΐαν ἐξάγουσι, *Imbibant,* ait Besoldus, *qui guberna-* *p.549.* *cula Reipublicæ tractant, Mæcenatis* oraculum *verius quàm dictum.* *Diss. de* Et p.186: *Diligens adhibenda cautio est, Magistratus nimia ne poten-* *Magist.* *tia armetur; etenim omnis Monarchiæ cautela communis est, neminem* *c.2.p.187.*

facere nimis magnum, aut certè plus quàm unum facere. Consilio
Dio lib. etiam Mecænatis paruit, monentis: Τὸ γὰρ, ὅτι τὶς ἐλοιδόρησέ σε, ἢ καὶ
52. p. 556. ἕτερόν τι ἀνεπιτήδειον εἶπε, μήτε ἀκούσῃς ποτὲ κατηγοροῦντός τινος, μήτε
ἐπεξέλθῃς. *Si quod tibi quisquam fecerit convitium, aut obtrectaverit,
neque deferente aliquo audire, neque ulcisci debes.* In his & aliis suggerendis
præcipua erat cùm dexteritas, tum efficacia Mecænatis, æquè
fortem animum præstantis, sive belli sive pacis consiliis. Erat
in eâ amplissimâ fortunâ Mecænas Vir spectatæ & perspectæ sapientiæ,
doctrinæ veræ ac necessariæ verus amator, doctorum patronus
summus, hoc nomine hucusque clarus atque illustris. Erat
in Mecænate summa solertia, vigilabat assiduè, impertiebat se singulis,
sed ut illam societatem diremerit nonnunquam laxior ani-
2.88, mus; unde Vellejus: *C. Mæcenas, Vir, ubi res vigiliam exigeret, sanè
p. 78. exsomnis, providens atque agendi sciens; simul verò aliquid ex negotio
remitti posset,* otio ac mollitiis *pene ultra feminam fluens, non minus
Agrippâ Cæsari carus, sed minus honoratus, quippe vixit angusto
clavo bene contentus; nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit.*
Nullum ferè magnum ingenium sine mixturâ alicujus nævi,
1. Sat. 2. unde Mecænati non pepercisse satyrâ Horatium volunt sub Mal-
v. 19. thini nomine

Malthinus tunicis demissis ambulat.

Ita putat Scaliger 3. Poet. c. 98. p. 379, ubi Poetam summæ ingrati-
in Hor. tudinis arguit. *Non puto,* inquit Lambinus, *Horatium usque eò vel
pag. 21. improbum, vel imprudentem, vel maledicendi cupidum fuisse, ut ne
Mæcenati quidem optimè de se merito, & gratiosissimo apud Augustum
Viro pepercerit. Verisimilius mihi est, alium quempiam ejusdem ætatis
conficto nomine ab eo designari, qui nimis longis & demissis & solutis
tunicis uteretur.* Fastidivit aliâs cultum neglectum Mæcenatis Se-
1. Epist. neca, apud quem joco: *Mæcenas in cultu suo. Non oratio ejus æquè
114. p. soluta est, quàm ipse discinctus?* alludens simul ad singulare ingenium
850. hujus Mecænatis, qui eloquentiâ ætatis suæ non contentus, & quod
nativâ suavitate sonabat, umbrâ & colorem quasi opacæ vetustatis
quæsivit. Mollitiem Seneca carpit eâ Epistolâ, mollem fuisse ajens,
non militem, cujus legi potest censura etiam Epistolâ 19, p. 557, &
92. p. 768. Laudanda verò est indulgentia Augusti, qui fidelitate
perspecta satis habuit vel connivere, vel leniter admonere errato-

rum-

rum, nunquam sortis humanæ oblitus. Principis nimirum est fidelium Ministrorum virtutes evehere, vitia, si parva sunt, connivendo tolerare, maximè cùm fidelitas inde non patitur, aut utilitas publica labefactatur; unde in laudibus *Augusti* ponit Suetonius, *quod* c.66.p.
non tantùm virtutes ac merita cujusque ex amicis *dignè prosecutus*, 123.
sed vitia *quoque &* delicta *duntaxat* modica *perpessus sit*. Modica inquit, non graviora, nam hæc gravant Principem, eique dedecus conciliant, si tolerat; imò ipsi imputantur, sicut Vedii *Pollionis*
luxus & Amicorum vitia ad Augusti invidiam referuntur à Tacito, 1. *Ann.*
cùm tamen luxum & sævitiam Pollionis aliquando redarguerit, 10.*n*.8.
referente Dione. Redarguendus verò Augustus, & in eo ca- *lib*.54.*p*.
stigandus videtur, quod, exhausto jam viribus Mecænate, non 614.
eo affectu perduraverit in eum, quo cœperat; nam Vir optimus, acceptusque maximè in aula, cujus neque consilium unquam neque virtus frustra fuit, ultimo tempore favorem *Augusti*, circumventusne invidia aut tædio ætatis dubium, sensit remissiorem, *provectâ*
enim ætate, teste Tacito, *speciem magis in amicitiâ Principis, quam* 3. *A*.30.
vim tenuit; fato potentiæ, raro sempiternæ; an satias capit., aut illos 6.
cùm omnia tribuerunt, aut hos cùm jam nihil reliquum est, quod cupiant. Inserviunt hæc ad inania Aulæ videnda, & quàm raræ sint
gratiæ usque ad finem; & quod prodigii instar, ut loquitur Lentu- *Aul. Tib.*
lus, sit perpetua Principis Amicitia. Non erant de summis rebus *p*.209.
consilia, ad quæ non vocaretur Mecænas, jam alius deligitur & diligitur. Hic trochus est rerum aulicarum, hic character Ministrorum, hæc locutio Velleji de Mecænate: *Non minus Agrippa Cæsari charus, sed minus honoratus*. Magna æstimatione fuit majorique fortunâ *Agrippa* apud Augustum; illamque societatem neque diremit offensio, neque aliena iniquitas; perseveravitque in finem conciliatus inter eos amor atque gratia. Magnæ certè gratiæ fuit argumentum, nec non fidei, quod Augustus non tam Mecænati quàm Agrippæ annulum suum signatorium concessit, ut eo literas, quas & ad Senatum & ad alios mitteret, lectas proque arbitrio mu-
tatas obsignarent, teste Dione his verbis: Τοσαύτην ἐπὶ πάντα καὶ τῷ *lib*.51.*p*.
Ἀγρίππᾳ καὶ τῷ Μαικήνᾳ ἐξουσίαν ἔδωκεν, ὥστε σφᾶς καὶ τὰς ἐπιστολάς, 509.
ἃς τε τῇ βουλῇ καὶ τοῖς ἄλλοις ἔγραφε, προαναγινώσκειν, κἀκ τούτου καὶ μεταγράφειν ὅσα ἐβούλοντο. καὶ διὰ τοῦτο τὸ δακτύλιον ἔλαβον παρ' αὐτοῦ, ἵνα

ἐπισφραγίζεσθαι αὐτὰς ἔχωσι. *Tantam in omnibus rebus potestatem A-*
grippæ & Mecænati Cæsar eo tempore tribuerat, *ut* Epistolas *quoque*
illi, quas ipse ad Senatum aliosve scribebat, antequam redderentur, le-
gerent, ac quæ visum fuisset, mutaverint; *cujus rei gratia* Annulum
quoque ab eo acceperant, ut obsignare eas possint. Quàm carus fuerit
Agrippa, indicat traditio annuli, quum desperata salute de morte
*l.*53.*p.* cogitaret apud eundem Dionem. Inter eos erant Mecænas, Agrip-
592. pa, de quibus nobile Symmachi dictum queat ferri: *Summis Imperii*
4.*Ep.* 8. *moderatoribus pia & decora suadentes, instrumenta sunt boni seculi.*
149. Non defuit pro necessitate regni, neque Mecænas neque Agrippa,
labore, opera, industria. Enitebat eximia virtus in M. Agrippa, un-
de *loco ignobilem, bonum militiâ, & victoriæ socium, geminatis Con-*
1. *Annal.* *sulatibus*; (connexis, nec annorum interstitio ruptis) Tacito dicen-
3.1. te, *extulit*, *mox defuncto Marcello* Generum *sumsit*. Spectatæ erat
integritatis, perspectæ in re militari prudentiæ Vir, quem cogno-
scimus Augusto omnium fuisse gratissimum, eò quod Generum
suum fecerit, quamvis in eo generis nulla esset claritas. In eo habe-
mus exemplum ejus gratiæ & amoris, quo Augustus, illos *opibus*
1. *A.*2. *& honoribus extollebat*, qui *servitio promtiores* essent; quique *novis*
*n.*3. *ex rebus aucti, tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa mallent.*
Sororis suæ filium Generumque Marcellum, licet Augustus ada-
*lib.*53.*p.* maret, ei tamen Agrippam prætulit, docente Dione; suspectabat
593. quippe juvenis Marcelli animum, quem populus diligebat ἐς τὰ
μάλιστα, *quam maximè.* Qua constantia fuerit, quave virtutis fide
continuata, Dio docuit, qui inter alia ait de amore in eum Augu-
*lib.*54. *p.* sti: Τὸν Ἀγρίππαν δι᾽ ἀρετὴν, οὐ δι᾽ ἀνάγκην τινὰ ἠγάπα. *Agrippam vir-*
622. *tutis, non necessitudinis gratia dilexerat.* Meritò dilexerat, quia ei
p 620. fuerat συμφορώτατος ἐν τῷ κοινῷ, *ad publicum statum utilissimus.*
Miræ industriæ Virum, multarum maximarum rerum effectorem,
satis nequit celebrare historia, cui neque in consiliis de regno dan-
dis diligentia, neque in periculis à Patria propulsandis hostibusque
variis amovendis animus, neque in perferendo pro salute Augusti
labore industria, nec in commodis publicis augendis studiosa ani-
*Dio l.*54. mi voluntas defuit. Tantus hinc erat in oculis Agrippa, ut quodam-
*p.*605, modo visus fuerit ab *Augusto* ἐς τὴν αὐταρχίαν, *ad imperium*, pro-
619. motus, cùm ei tribunitia potestas daretur & propagaretur ab uno
quin-

quinquennio ad aliud. Vir *bello providus & fortis, & vel causa vi-*
ctoriarum Augusti, vel instrumentum, ait Lipsius. Scientissimus e- 4 *Ad-*
rat explorator ingenii Augusti, & *A*ularum etiam, Agrippa, qui *mir.*
Aulicis Ministris doctrinam auro contrà non charam suppeditat, *Rom.* 5.
ut, recensente Dione, *gravissima quæque laborum* (τὰς τῶν πραγμά- p. 216.
των δυσχερείας) haud gravatim in se susciperent, τὴν δὲ κατόρθωσιν τῶν *lib.* 49. *p.*
πραγμάτων, *rei bene confectæ gloriam*, non sibi sed Principi tribue- 450.
rent. Egregia certè & verè aulica sententia, quam si observarent
plurimi, in majori essent autoritate & gratia. Egregiè Dio lib. 53. p.
586. Ὁ Ἀγρίππας πρὸς τοῦ Αὐγούστου καὶ πρὸς τῶν ἄλλων ἁπάντων ἐτιμᾶτο.
αἴτιον δὲ, ὅτι τὰ φιλανθρωπότατα καὶ τὰ εὐκλεέστατα, τά τε συμφορώ-
τατα καὶ συμβουλεύων οἱ καὶ συμπράττων, οὐδὲ ἐπὶ βραχὺ τῆς δόξης αὐτῶν
ἀντεποιεῖτο. *Agrippa magnos honores apud Augustum omnesque alios*
invenit; omnibusque in rebus, quum esset autor adjutorque Cæsari
quam maximè clementium gloriosarumque & utilium actionum, ne-
minimum tamen inde sibi gloriæ arrogabat. Quin potius quum ho-
noribus afficeretur, omne id convertebat οὔτε ἐς πλεονεξίαν, οὔτε ἐς
ἀπόλαυσιν ἰδίαν, ἀλλ' ἔς τε τὸ αὐτὸ ἐκείνῳ, καὶ ἐς τὸ τῷ δημοσίῳ συμφέρον,
neque in privatum suum commodum aut voluptatem, sed in Augusti
ac Reipublicæ utilitatem. Prosperam sic fortunam Agrippa sine su-
perbia, quod rarum est in Ministris aulicis fortunatis, ferre potest,
sui compos, in dignitate summa censens insidiosiorem esse fortu-
nam blandam quàm minacem. Bene ferre magnam didicit fortu-
nam, in quo satis didicerat; quanto enim quis est sublimior in Au-
la, tantò debet esse fidelior & humilior cum Agrippa, ne ruat. Ma-
gna merita fuêre *A*grippæ, magnæ virtutes, sed ille se ignorabat,
Principem suum ornans dignitate sua, non se. Ut muneri suo satis-
faciant, agant Ministri summi aulici, quod egit in Aula Augusti A-
grippa, quod Mecænas, qui omnia faciunt, & nihil ostentant,
contenti tantùm amore Principis, inania honorum transmit-
tentes, de quo legendus Boeclerus ad Tacitum. Aulæ *A*grippas, 1. *A.* 6.
Principis ac populi bono, non suo, sapientes, habeant suos, ut bene p. 95.
sit, votoque Barth. Nihusii *lib.* 11. *E-*

Agrippæ nostris hodie si Regibus adstent, *pig.* p. 151.
Quàm rerum melior sit fueritque status.

Nihil præstabilius Imperio potest divino dari munere, quàm pru-

dens & ingenuus Mecænas aut *Agrippa*, qui noverit rectè consulere. Ejusmodi Prometheus πηδάλιον τῆς βασιλείας, *temo & gubernaculum regni*, potest haberi. Quod agnovit beneficium in Agrippa & Mecænate Augustus, quorum virtutem & prudentiam expertus, non semel ab ipsorum obitu, inter domesticas & publicas adversitates versatus, dicere solitus fuit: *Hæc mihi non accidissent, si Agrippam & Mecænatem meum habuissem.* Consiliis eorundem quamdiu usus est Augustus, tàm privatim, quàm publicè prudenter & feliciter omnia gessit; at postquam iisdem per mortem orbatus fuit, multa Principi & Imperio indecora contigêre; unde eosdem per omnem vitam magnopere desideravit, omnium aliarum rerum, præterquam horum virorum, jacturâ facile reparatâ. Sunt illæ Aulæ felices, quæ Viros in consiliis habent sobrios præsentisque animi, nec non defæcati judicii, quorum cognitio non tantum promta, sed &, ubi res postulat, executio cita. Hæc est illa vis animi, quam in Themistocle Thucydides commendat, quod fuerit in subitis consiliis inveniendis excellens, καὶ κράτιστος αὐτοσχεδιάζειν τὰ δέοντα, *& optimus ad explicandum ex tempore, quæ ad rem facerent.* Non vagus erat in consiliis *Agrippa*, non lubricus, non ludicrus, sed sub casum, inque casu aliquo, ingeniosè felix. Inter alios erat adjutores curarum regni unà cum M. Agrippa *Statilius Taurus*, quamvis nec iste natus ex illustri aut antiqua familia. De utroque Vellejus 2.127.p.106. *Raro eminentes Viri* non magnis adjutoribus *ad gubernandam fortunam suam usi sunt; ut D. Augustus* M. Agrippa, *& maximè ab eo* Statilio Tauro, *quibus novitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices Consulatus triumphosque, & complura eniterentur sacerdotia.* Interioris etiam admissionis erat post Agrippam & Mæcenatem *Salustius Crispus* qui, *quanquam promto ad capessendos honores aditu, Mecænatem æmulatus, sine dignitate Senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, incolumi Mecænate proximus, mox primus, cui* secreta Imperatorum *innitterentur.* Qui vir fuerit Crispus, in Tiberii historia tradimus. Quàm vero Mecænas & *Agrippa*, Statilius & Crispus, fuerunt Viri aulæ & rerum civilium peritissimi, atque ad eas promtissimi, tam erat *Messalla Corvinus*, vel contumacia, vel inertia, vel alia de causâ, alienior à rebus Augusti aulicis novis; cùm enim de eo spem frustra habuisses

[*Seneca* 6. *Benef.* 32. *p.*496.]

[*lib.*1.*p.* 91.]

[*Tac.*3. *Ann.*30,1.]

buisses

buiſſet Cæſar, eum tanquam neſcientem uti foro, removit ſpecie civilitatis, ut qui faveret conſuetudini veteri aureſque præberet civibus, qui, ſi fuiſſet tectior & de publicis privatiſque rebus ad Principem accommodatior, à latere Auguſti nunquam avelli potuiſſet. Parum itaque confidens Meſſallæ, ſibique nil opis adferenti ad mutationem ſtatûs, honeſtabat verbis Conſiliarium, re volüit ablegatum, eos conquirens magnus ingeniorum ſpectator & diligens, in quorum ſimulatione & fide conquieſcere poſſet, Duo teſtimonia hic conferenda & conciliandа, unum Taciti: *Primus Meſſalla Corvinus eam poteſtatem* (Præfecturæ Urbis) *& paucos intra dies finem accepit, quaſi neſcius exercendi.* Alterum Euſebii, ſive potius Hieronymi in Chronicis: *Meſſalla Corvinus, primus Præfectus Urbis factus, ſexto die Magiſtratu ſe abdicavit, incivilem poteſtatem eſſe conteſtans.* Præfectura illa civitatis, quæ vicaria quondam fuerat & civilis ſine elatione & violentiâ, ſuperba & immodica cæperat fieri ſub Auguſto, libertatique invisa, unde Meſſalla, memor inſtituti veteris, ſcenæ ſervire nolebat, conteſtatus apud Auguſtum & amicos, novam illam ſub veteri titulo poteſtatem excreſcere, ac immodico uſu civibus, æquitatem & moderationem antiquam non neſcientibus, fore inviſam & odioſam, hinc *viſus eſt ipſi Auguſto non ſatis aptus & confidens ad uſurpandum jus tantæ potentiæ, & infringendam umbram, quæ ſupererat, Magiſtratuum poteſtatis. Itaque planè, ut ait Tacitus in arcana penetrans, intra paucos dies finem poteſtatis non tam ſumſit aut petivit, quàm accepit, quaſi* neſcius exercendi; *adhibita interim illa ſpecies abdicantis ſe, & ultrò cedentis, ut artes Principis velarentur*, exponente Amico Gronovio. Hic eſt ille fragilis memoriæ Vir Meſſala, qui nominis oblitus fuerat, nam *ante biennium, quàm moreretur, ita* memoriam ac ſenſum amiſit, *ut vix pauca verba conjungeret, & ad extremum ulcere ſibi circa ſacram ſpinam nato inediâ ſe confecit anno ætatis* LXXII. In hoc Principem ſe Reipublicæ utilem oſtendit Auguſtus, quod ipſe prudens Rector prudentium ſe operâ indigere cognoſcit, illoſque conſulit, ut conſulat dexterius ſibi ſuoque regno utilius. Non ſuæ induſtriæ tribuere voluit omnia, imprudentem enim prudentiam ſcivit eſſe, ſi illam inficeret αὐθάδεια & ſuperbia ſui. Facile labitur Imperator, qui ſeipſum ſibi ipſi credit. Exempla eorum, qui hîc aberrârunt, ſua dabit pa-

6. *Annal.* II. *n.* 4.

lib. 2. *f.* 68.

Obſerv. in Eccleſ. ſcript. c. 19. *p.* 210.

Hieron. Chron. f. 70.

gina, dabit fœdos lapsus, & noxiæ hujus in se fiduciæ damna recensebit. Non confidit in se solo Augustus, consilio voluit doceri, ubi dubius hæsit; voluit habere *Interpretes fidos Legum & Oraculorum*, uno verbo *Iureconsultos*, quibus recti æquique scientia fieret notior. Verè sui sunt, qui sui non esse volunt, regnique negotium in tuto locant, qui consiliis se sinunt salutarius formari, ut alios regant commendabilius. Eximia est dos regni fideles habere Jureconsultos, rerum dubiarum & gravium arbitros, unde etiamsi Principi sit animi celsior vis, ritè regundis terris de optimis Consiliariis circumspicit, *gravissimi* quippe *Principis*, dicente Tacito, *labores, queis orbem terræ capessit, egent adminiculis*. Optimi hinc Imperatores sibi elegerunt fidos Consiliarios & Jureconsultos. Julius Cæsar *Qu. Pedium & Cornelium Balbum*; Augustus *Mecænatem & Agrippam, Trebatium*, alios; Adrianus *Celsum, Salvium & Neratium*; M. Antoninus *Scævolam*, *Mutianum & Volosianum*; Severus *Papinianum*, alii alios. Sociabimus hîc ejus ævi *Jurisconsultos*, quorum consiliis tunc confidebatur, quorumque memoria adhuc inclyta servatur, ad hoc proficiente narratione, ut serviat unà historiæ Juris. Convertit se Augustus in constituendis & emendandis rebus juris civilis ad arbitrium Jureconsultorum, eosque sibi adjunxit imperii & dignitatis causâ, quorum de fide & laboribus cùm constaret, instituì ab eis, judicii formandi & ad statum publicum accommodandi gratiâ, voluit, non nesciens, quod Cicero solitus fuit dicere, de domo Jureconsulti Q. Mutii *Domum Iureconsulti, totius esse Civitatis Oraculum*. Domum priusquam introeamus, Oracula justitiæ visuri, in propylæo videamus Sectas nobilissimi Palatii, & quid Augustus constituerit cum laude & felicitate. Duæ sectæ inter Jurisperitos temporibus Augusti fuêre ortæ, una Sabinianorum sive Cassianorum, altera Proculianorum. Illius princeps erat *C. Attejus Capito*, antiquiorum ICtorum placitis constanter insistens, cui succedebant Masurius Sabinus, C. Cassius Longinus, Cœlius Sabinus, Priscus Jabolenus, Salvius Julianus, Autor edicti perpetui. Proculianorum erat Princeps *Antistius Labeo*, ingenii novaturientis ICtus, cui successerunt M. Coccejus Nerva, Pater & Filius, Proculus Spiculator, Pegasus, Juventius Celsus ejusque Filius Celsus, Neratius Priscus; *l. 2. §. fin. lib. 1.*

12. *Annal.* 5. *n.* 4.

1. *de Orat. p.* 182.

lib.1.tit.2.ff.de Orig.Iuris. Qui sunt in historiâ Juris curiosi, eaque tempora, quæ ante Augustum fuêre, considerant, nescire non possunt ante tempora Augusti publice respondendi jus Ictis nondum concessum fuisse; sed qui *fiduciam studiorum suorum* habebant, Consulentibus respondebant, neque *Responsa* utique *signata* dabant, sed plerunque Judicibus ipsi scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant. Primus Augustus, *ut major Iuris authoritas haberetur*, constituit, ut *ex auctoritate ejus* responderent, & ex illo tempore hoc *pro beneficio* cæpit; l.2.§.fin.lib.1.tit.2.ff.de O.J. Quõ erat prudentiæ studiô *A*ugustus, noluit unicuique temere patere facultatem respondendi de Jure; sed ita demum, si *à Principe probatus* hoc Reipublicæ concessum esset; *l.7.lib.10.tit.51.C.de Profess.& Med.* Atq; hinc Corasio videtur Doctorũ creandorũ originẽ emersisse, cujus ibi opinionis causas accipe; estq; alienum nunc de egressione eâ differere. Ingressuris verò sacrarium Jurisprudentiæ obviat primùm *Q. Mutius Scævola*, Jurisperitorum eloquentissimus, Cicerone etiam laudante, qui Auditores habuit sedulos *Aquilium Gallum* & *Lucilium Balbum*, toties à Cicerone (de claris Orat. in Officiis, Topicis & alibi) commendatos; quorum nomen & fama eò magis enituit, quia Præceptores fuerunt *Servii Sulpitii*, Icti eminentis. Vetustissimum fuisse omnium illorum Ictorum, quorum scripta in Pandectarum libros translata supersint, ex Politiano refert Labittus. Plenior descriptio videatur apud Rupertum in Animadvers. ad Pompon. pag. 385, 386. Nomina Mutiorum ne nos tricis involvant, videndum Mutianæ familiæ stemma in Commentario Nic. Henelii de Veteribus Jureconsultis pag. 10, 11. Si consilia quærenda, quærebantur ea à Consultissimis, Mutiis & Sulpitiis, quales præsto erant doctrinâ atque eruditione valentes. Concessam fuisse *facundiæ virtutem* Scævolæ & Servio Sulpitio notat Quintilianus, nullaque dies memori ævo eximet *Servium Sulpitium*, qui valuerat consiliis quàm maximè Republicâ jam inclinante. Quantum est elogium, quod habet Cicero! *Omnes ex omni ætate, qui in hâc civitate intelligentiam Iuris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum* Servio Sulpitio *non sunt conferendi. Neque enim ille magis* Juris consultus *quàm* Justitiæ *fuit.* Quantum est elogium, quod huic præmiserat, nec hic etiam silebitur! *Non silebi-*

in Tit. de Orig. Iur. p.232.

de clar. Orat. c.8. p. 157. & 1. de Orat. p. 182.

Indic. Iuris pag. 1.

12. *Orat. Inst.* 4. *p.616.*

9 *Philipp. col.900.*

silebitur admirabilis quædam, & incredibilis, & penè divina ejus in legibus interpretandis, æquitate explicandâ, scientia. Is Servius, cùm plus in caussis orandis quàm jure exercendo versaretur ad consulendum Q. Mutium de re amici sui pervenerat, eumque eum Servius parum intellexisset, iterumque interrogasset, nec tamen per-
Henel. de cepisset; objurgatus à Q. Mutio fuerat, *turpe esse Patricio & Nobili,*
Iur. p.20. *& caussas oranti, jus, in quo versaretur, ignorare.* Eâ velut contumeliâ Servius operam dedit Juri civili, & plurimos audivit ICtos, inter alios institutus à Balbo Lucilio & Gallo Aquilio. In Legatione cùm periisset, *statuam* ei populus Rom. pro rostris posuit; cujus etiam Volumina complura exstant, reliquit autem prope centum. Vide l. 2. §. 43. lib. 1. tit. 2. ff. de Orig. Juris. Servius is verè Servius, inserviens modestiæ exemplo nobis, ut discamus servire tempori & providere utilitati studiorum, vel quovis tempore atque occasione; quanquam enim is omnes sui ordinis arte superaret, ac literis humanioribus non leviter tinctus esset, non dubitavit tamen fasces submittere suos coram T. Varrone, eumque per literas de verbis obscurioribus diligentissime interrogare. Optimus judicandi professor, magnâ modestiâ ad Scholam Varronis descendit, unde & hoc exemplum primo commendat loco Antonius Matthæus, cùm *de Modestiâ Veterum Iureconsultorum* Ultrajecti pu-
pag. 7. blicè in Actu Doctorali peroraret. Serviere post Servium commodo regni magnâ nominis & juris dignitate *Alphenus, Cajus, A. Ofilius, T. Cæsius, Aufidius Tuca, Aufidius Namusa, C. Attejus Pacuvius, Fl. Priscus, P. Cæcilius, C. Trebatius, A. Cascelius, Q. Ælius Tubero, Atejus Capito, Antistius Labeo, Masurius Sabinus,* quo ordine sistuntur à Jacobo Labitto in Indicibus Juris Varii ad Pandectarum & Codicis Leges, digni, qui tradantur, dignusque liber, qui commendetur studiosorumque manibus versetur. Nos, dummodo noverimus, stricturas dabimus. Erat Sulpitii discipulus *Alfenus Varus*, ICtus sua ætate celebris, rerumque antiquarum, sicut
6. N. A. 5. Gellius ait, non incuriosus. Cremonæ natus sutrinam diu exer-
p.239. cuit, tandem tamen, ut Horatius festivè testatur, relictâ sutrinâ, clausâque tabernâ Romam profectus est,

1. Sat. 3. *abjecto instrumento artis clausaque taberna.*

v.131. A latere hujus stat *C. Aulus Offilius*, Equestris Vir ordinis, Sulpi-

tii auditor, qui vivente adhuc præceptore suo Sulpitio de jure respondit Augusto, qui tum imperabat, familiaris & summus M. Ciceronis amicus, qui ejus meminit in Epistolis ad Familiares & ad Atticum. Vid. Corasius in tit. de Orig. Jur. p. 210. Labitus. p. 10. Ostendit eadem ætas *Cascelium* & *Trebatium*, quorum ille eloquentior, hic peritior, utroque doctior Offilius, teste Pomponio l. 2. §. 45. lib. 1. tit. 2. ff. de Or. Juris. Suâ contentus sorte *Cascelius*, Jurisconsultus & Quæstorius, ultra proficere noluit, cùm illi Augustus Consulatum offerret. Ciceronis pro Balbo nixus testimonio scribit Corasius: *Neque verò urbanitatis tantùm sed etiam miræ libertatis habitus, usque adeò, ut beneficio nullo promoveri, nullius gratia aut authoritate deliniri potuerit; ut pro Lepidi, Antonii & Octavii, Triumvirorum, placitis* formulas *ederet; omnes eorum conatus* à *Legum ordine alienos, constanter prædicans.* Dissensiones ob nomen Auli Cassellii videri possunt apud Rupertum in Animadvers. ad tit. de O. Jur. p. 416. 418. Quid de Cascellio judicet Horatius, colligendum ex his versibus:

ad tit. de Orig. Iur p. 217.

Consultor Iuris & actor
Caussarum mediocris, abest virtute diserti
Messallæ; nec scit, quantum Cascellius Aulus.

de art. Poet. v. 375.

Manifestior Cascelio famâ eruditionis evasit *C. Trebatius Testa*, Eques Romanus, familiaris Ciceronis, cujus ad eum diversæ extant Epistolæ, & in quibus sæpe jocatur cum Trebatio, quem *familiarem suum* vocat 4 Epist. fam. 1 p. 77 & quàm ei amicus fuerit, testis dedicatio Topicorum libri, exemplorum ex Jure depromtorum pleni, & à studiosis Juris cumprimis legi digni. Magister Trebatii in Jure civili fuerat *Q. Cornelius Max.* l. 2. § 45. lib. 1. tit. 2. ff. de O. Jur. de quo Cicero jocatur ad Trebatium, qui Tribunatum in militiâ, à Cæsare delatum, recusârat: *Querar cum Vacerra & Manilio; nam* Cornelio *nihil audeo dicere, cujus tu periculo stultus es, quando te ab eo sapere didicisse profiteris.* In civili bello Julii Cæsaris partes jugiter secutus fertur, miraturque Corasius non deesse doctos Viros, qui scribant, eum ad Pompejum defecisse. Commendatio Trebatii fuit non vulgaris, sed cum aliquo insigni indicio benevolentiæ Ciceronis ad Jul. Cæsarem scribentis: *Mitto ad te Trebatium, de quo tibi homine hoc spondeo, probiorem hominem,*

Epist. 8. p. 170.

ad tit. Orig. Iur. p. 217.

7. Epist. fam. 5. p. 168.

meliorem virum, pudentiorem esse neminem. Accedit etiam, quod familiam ducit, in Jure civili *singularis memoria, summa scientia. Totum tibi hominem trado de manu (ut ajunt) in manum tuam istam & victoria & fide præstantem.* Ad ipsum verò Trebatium, in Britanniâ agentem, scribit: *Imperatorem liberalissimum habes, ætatem oportunissimam, commendationem certè singularem, ut tibi unum timendum sit, ne ipse tibi defuisse videare.* Eidem Ciceroni dicitur *homo peritissimus rerum, & exemplorum, & omnis vetustatis.* Memorabilis quoque est illa Ciceronis ad Trebatium dissertatio de rectâ viâ, quâ ad lumen Juris civilis perveniatur, cumque dixisset in genere, *nullam artem literis sine interprete & sine aliqua exercitatione* percipi posse, mox in specie *de Iurisprudentiâ* subjicit: *Num* Jus civile vestrum *ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi sunt,* Doctorem *tamen* lumenque *desiderant.* Modum, qui *præter literas & libros*, diligentem sc. librorum Juris lectionem & meditationem, ad consequendum illud lumen requiratur, Orator ostendit duplicem, *Interpretationem Doctoris* & *Exercitationem*, viva enim vox Doctoris maximè afficit & penetrat; exercitatio acuit & evehit altius. Quantæ fuerit autoritatis apud *Augustum*, arguit, quod ejus suasu Augustus Codicillorum usum introduxit, uti extat in pr. Instit. de Codicillis, ibi: *Dicitur autem Augustus convocasse sapientes viros, interque eos Trebatium quoque, cujus authoritas tunc maxima erat, & quæsisse an posset recipi hoc, nec absonans à juris ratione Codiccillorum usus esset, & Trebatium suasisse Augusto, quod diceret utilissimum & necessarium hoc civibus esse.* Neminem etiam clam est, quàm ejus Trebatii crebra mentio fiat in Digestis, syllabumque exhibet allegationis Eberlinus, qui, quum opus emiserit de Origine Juris omniumque Magistratuum, studioso labore Jureconsultos sub Impp. florentes exhibet, simulque luculentam ἀνάδειξιν comportat eorum, quæ ex cujusque ICti libris excerpta in Pandectas à Triboniano relata fuere. Ex eodem ICtorum ordine celebritate cum Offilio Præceptore *Atejus Capito* contendit, qui unà cum *Antistio Labeone* sub Augusto floruit, quos *duo pacis decora* nominat Tacitus. *Capito*, caput fori, *principem in civitate locum studiis civilibus* adsecutus *humani divinique juris scientissimus*, elogio Taciti, *publici privatique juris peritissimus*, Gellii 10, A.N.20, p.367.

Epist. 7. p.169.

6 Epist. famil. p. 149.

Epist. 19. famil. lib. 7. p. 179.

c. 40. p. 347. seq.

3. A. 75 2.

p.367; *Pontificii juris inter primos peritus*, Macrobii 7,13.p.723; cujus libri *Conjectaneorum* laudantur & allegantur Gellio II, 24. p. 105, IV,14.p.184; X,6.p.349; XIV, capp. ultimis duobus p.533; XX,2.p.729. Libri *de Iure Pontificio*, eidem lib.4,6.p.174; de Officio Senatoris lib.2.c.10.p.180. Quæ ejus testimonia citentur in Corpore Juris, ea annotat Labittus; unde ejus Capitonis constat celebratio in Jure, sicut multis allegatis id etiam probat D. Eberlinus *de Orig. Iuris c.42.p.* 357,358,359,360, ubi etiam de libris ab eo conscriptis *p.*360,361,362,363. Laus est eximia Capitonis, quod ille tunc primarius urbis Ictus ab Augusto acceperit in negotium, cùm Ludus secularis celebraretur, teste Zosimo, ut *leges Ludorum exponeret, tempus rei sacræ faciendæ spectaculorumque edendorum, definiret, Quindecimviros, Oraculorum custodes, investigaret.* Quindecimviralem Sacerdotem fuisse Panvinius conjectat, notante Taffino. Eminebant in Aulâ Augusti Capito & Labeo, quorum ille morosior, hic civilior. Attejus Capito in captandâ Augusti benevolentiâ occupatus erat, Tacito teste, quem locum versat contra Pomponium Rupertus. Labeo autem tetrico vultu nil nisi quod cum legibus & ratione conveniret, approbandum censuit, hujusque intuitu Imperatoris gratiam parvi duxit, de quo legatur Henelius de Vet. Ictis c.4.p.31,32, qui in commemoratione metricâ Ictorum Veterum p.215 distichon hoc habet de Labeone:

Indic. Iur. p.19.

lib.2.p. 669.

2. Lud. Sec.p.40.

3.A.75. ad Pomp. p.426.

Libertas fecit magnis invisa Dynastis;
Major aut fuerim, quàm tulerim, meritus.

Non inferior fuit Ictus πολυγραφότατος *Antistius Labeo*, at in Augustum ob leges latas dicax & liber, Trebatii discipulus, qui totum annum ita diviserat, ut Romæ sex mensibus cum studiosis esset, sex aliis secederet, ac conscribendis libris operam daret, notante Pomponio l.2.§.fin.lib.1.tit.2.ff.de O. J; & laudante Henelio de Vit. I.p.33. itemque Bourrico. Eum *Legum atque morum populi Romani Iurisque civilis apprimè doctum* ait, sed simul notat Gellius, *libertate quâdam nimiâ hominem atque vecordem fuisse, usque eò, ut Divo Augusto jam Principe & Rempublicam obtinente ratum pensumque nil haberet, nisi quod justum sanctumque esse in Romanis Antiquitatibus legisset.* Eapropter ab Horatio in gratiam *Augusti insanus* vocatur 1.*Sat.*3.*v.*82, qui etiam Augustum reprehendere ausus fuerit,

Panegyr. ad Pandect p.38.

13.N. Attic.12.p. 462.

pag. 627. rit, ubi Vetus Interpres Acro: *M. Antistius Labeo, Iurisperitus, memoratæ libertatis, nam in Augustum liberè invectus est, ideo eum nunc Poeta male tractat, ut gratificetur Augusto.* Extulit se libertate agendi Labeo, cùm enim ejus arbitrio legendum Senatum permisisset
Augustus, in Senatorum numerum legit Lepidum, qui hostis olim fuerat, interrogatusque ab ipso Augusto, *an essent alii digniores*,
c. 54. p. respondit, *suum quemque judicium habere*, notante Suetonio,
p. 115. cui addendus Dio, referens respondisse, Lepidum non esse ideo
lib. 54. indignum, quia ipse Augustus pateretur eum esse Pontificem. Æ-
p. 608. quo id tulisse animo Augustum memorant. Ejus memoratur in
Pandectis liber trigesimus l. 9. D. lib. 4. tit. 3. de Dolo malo §. etsi
servum; & quæ sunt aliæ Leges ex ejus libris ingestæ apud Labit-
p. 20. tum. Optimè calluisse origines rationesque verborum notarunt
seqq. Cujacius in Parat. C. de acquir. & pet. pos. & Henelius de Vet. Jur.
c. 4. p. 36 ex Gellio, quem explicant commendantque; inque eo
nunc concludemus Henelii disticho:
p. 215.

Si quisquam antè alius, discussi ænigmata Legum,
Ille ego & Astrææ lux, Sophiæque decus.

Perstabit laus Augusti, propugnatoris justitiæ & Patroni Jureconsultorum, sine quibus de negotiis magnis nec cognoscere nec judicare voluit. Juris cognitionem in Augusto mirentur & admirentur ætatis nostræ Augusti, & ad statum publicum accommodent. Jureconsultos item instar Augusti graves & disertos sibi adjungant. Jus sedulò cum Augusto colant, per incorruptos Ministros Civibus suis dici curent, Imperiique sui Consultos fideles rectique amantes magno habeant loco. In hoc sequentur exempla non solùm Augusti, qui *Capitones* & *Labeones* dilexit; sed etiam Vespasiani, qui *Pegasum*, Urbis Præfectum coluit; Antonii Pii, qui *Iavoleni* & *Marcelli* opera fuit usus; Trajani, qui *Neratium* & *Celsum Patrem* in oculis tulit; Adriani, qui *Salvium Iulianum*, perpetui Edicti autorem, admiratus fuit; Septimii Severi, cui charus *Papinianus* fuit; Alexandri, apud quem *Vlpianus, Pomponius, Iulius Paulus*, potuere plurimum; Iustiniani, qui tantùm *Triboniano, Theophilo*,
Suet. Cal. *Dorotheo* tribuit, ut per eos immensum illud restaurandi Iuris opus
c. 34 p. exegerit. Detestari verò decet Caligulæ extremum furorem, qui
252. sæpe jactabat, se effecturum, ut nihil præter eum responderent am-

plius

plius Iureconsulti. In hoc etiam laudandus & imitandus Augustus, qui voluit, ut inter Consiliarios suos esset libertas dicendi, quæ è re essent, προτρεπόμενος πάνθ' ὅντιν' οὖν συμβουλεύειν οἱ, εἴτις τι ἄμεινον αὐτῶν ἐπινοήσειε. καὶ παῤῥησίαν σφίσι πολλὴν ἔνεμε, καί τινα καὶ μετέγραφε, *omnes adhortatus, ut suum sibi consilium aperirent, si quid rectius invenirent, libertatem omnem eis concedens, eorumque motus sententiis, quædam retractavit.* Id etiam à Consulibus, aut si ipse Consulatum gereret, à Collega suo contendit, secus ac antea fecerat Iulius, de quo alibi. Etiam senio fessus rarissimè in Senatum veniebat, petebatque sibi dari Consiliarios annuos viginti, teste Dione. Prudenter, ut omnia omnique ætate.

Dio lib. 53. p. 585.

lib. 56. p. 674.

15. Stabilitâ Monarchiâ auctisque Imperii finitus terrâ marique Regnum connectit; Copiis provincialibus, urbanis & maritimis munit; Limitibus castella addit; Provincias omnes describit, coloniis auget variis, & certos singulis Rectores, Præsides, *Proconsules* & *Præfectos* imponit. *Regno* armis firmato Militiaque statuminata Vrbes ædificiis & opibus auget; Legibus & Magistratibus ornat; *Res* civiles corrigit; Fiscum & Ærarium exauget; Judicia melius ordinat.

QUàm se in omnia longè lateque extendit Monarchia, sive, ut Tacitus appellat, *Vis Principatus*; tam muniri debet felici auspicio, Provinciarum & Regionum apta connexione, Legum & Consiliorum salubritate, rerum civilium & militarium bono ordine. Regni *Conservatio* non minoris virtutis quàm *Acquisitio*, habenda, cumque Monarchiæ acquisitio multùm laboris Augusto fece-

1. A. 6. 7.

fecerit, majoris constitit conservatio, sine quâ omnis constitutio supervacanei laboris. Conservatio autem Regnum adversus omnes tum internas, tum externas conversiones, perversiones ac eversiones tuetur. Constituto suis partibus regno reliquum erat, ut jugi curâ ac pervigili solicitudine partes omnes conservarentur. Solent Politici, postquam egerunt *de Constitutione Reipublicæ*, de ejusdem tum *amplificatione*, tum *conservatione* tractare. Mirâ industriâ sibi Principatum comparavit Augustus, majori prudentiâ, ut vix credibile sit, conservavit. Quâ cæpit vigilantiâ, eâdem continuavit, regnum sibi securum præstans; *nam*, quod ait Salustius, *imperium facilè iis artibus retinetur, quibus ab initio partum est, verùm ubi pro labore* desidia, *pro continentiâ & æquitate* libido *atque* superbia *invasêre*, *fortuna simul cum moribus immutatur*. Mirâ excubavit solicitudine, ut omnia non Romæ modò, sed per omnē Italiam, & omnes Regiones ac Provincias, ita constitueret, quæ sibi ad præsentem novum statum essent quam maximè commoda. Rarâ admirabilique diligentiâ agit partes Principis, in regni salutem intenti. Cavet, atque etiam cavet, ne fatiscat corpus regni, ne seditiones internæ, ne hostis externus fraudi sint. Quàm laboriosus, quàm assiduus, quàm indefatigatilis! Caput rerum in elogium Augusti scribendarum esse dicit Dio, ὅτι τό, τε στασιάζον πᾶν ἔπαυσε, καὶ τὸ πολίτευμα πρός τε τὸ κράτιστον μετεκόσμησε, καὶ ἰσχυρῶς ἐκράτυνεν, *quod omnes seditiosos coercuerit, Rempublicam in optimam formam converterit, eamque firmo imperio rexerit.* Hoc vocat Mecænas Orat. ad Augustum μεταῤῥυθμίζειν καὶ κατακοσμεῖν πρὸς τὸ σωφρονέστερον, *transformare, in meliorem formam componere, castigatiorem reddere formam imperii.* Magnum & arduum opus erat, connectere tantum Imperium, omnesque Provincias ordinare, distribuere, componere, castigare. Quâ erat fælicitate Augustus, & scivit connectere, & voluit, & potuit, Imperii Romani formator & firmator & edolator gloriosus. Ab obeundum summi Magistratûs officium tria potissimùm requiruntur, ut *sciat administrare*; & ut *velit*, & ut *possit*, vana enim est sine viribus politica rerum administratio. *Ut felicitatis est*, ait Plinius, *quantum velis, posse; sic magnitudinis, velle, quantum possis.* Quantum posset, animo versabat & intelligebat, colligens argumenta hujus rei omnia, quà pote-

Conjur. Catil. c. 2. p. 1.

lib. 56. p. 686.

Dio lib. 52. p. 541.

Paneg. p. 52.

poterat. In numerato habebat omnia, opes regni, populos, classes,
legiones, tributa, necessitates, largitiones. Tacitus testis 1. A.11,7,
ubi legendus Boeclerus. Non ignarus rerum gloriosè regendarum p. 236,
salvum cupiebat regnum, paratus jam tutari corpus connexum 237.
imperii ab impugnationibus. Pacatum erat jam regnum, noverat
res & fortunam ejus, noluerat novarum turbationum aut accessio-
num dare materiam. Magnum regnum magnum numerum mili-
tum requirebat, novaque subinde materia dabatur *Augusto* ad va-
riorum regnorum munimen majorem numerum militum scriben-
di; ut verò copiâ non obrueretur magnæ fortunæ, eam sistendam
putabat, ne major cresceret in gloriâ regni, quàm ferendo esset.
Eò pertinet apud Tacitum *consilium coercendi intra terminos im-*
perii; & illa apud Dionem querela, ægre posse se eas gentes, quas 1. *A*. 11. 8.
devicisset, in fide & officio continere, aut à vi & injuriâ defende- *l.* 56. *p.*
re; unde illud consilium, de finibus imperii non proferendis, & un- 677.
de querela ad Liviam de regno, multis periculis & timoribus ob- *lib.* 55. *p.*
noxio. Non frustradatum *ab Augusto* consilium *coercendi intra* 639.
terminos Imperii; quicquid autem ad altum pervenit, stat in lubrico, *Loccen.* 4
nisi fulciat ratio moderatrix. Consilium illud Augusti senis de im- *de period.*
perio intra terminos coercendo non erat timidi, eò quod judica- *Imp.* 23. *p.*
ret jactantis esse ingenii, ardore triumphandi, & ob lauream coro- 539.
nam, id est, folia infructuosa, in discrimen, per incertos eventus
certaminum, securitatem Civium præcipitare. Iudicavit post eum
Trajanus, nimia dum ambiantur, universa multoties intercipi. Nil
magis turbat Regna & Respublicas, quàm cupiditas coacervandi
& anxius æstus proferendi limitis excludendique finitimi. Multa
capere & rapere, omnia turbare, non est multum agere, sed turbata
componere & intra limites coercere plus est; & ne iterum turben-
tur, impedire, plurimum hoc est. Prudens certè erat Augusti mo-
rituri consilium de coercendo intra terminos imperio, si specta-
vit & ingenium Tiberii improbum, & periculosæ fortunæ aleam
in amplissimis regnis, ubi εὐεξία non secus ac in corpore humano
est suspecta, rationemque dedit quasi ex tripode Politico Curtius: 4. 11. *p.*
Prægrave imperium difficile est continere, quod capere non possis. Vi- 347.
desne, ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Nescio an Da-
rius ideò tàm multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum

faciunt. Facilius est quædam vincere, quàm tueri. Quàm hercule expeditius manus nostræ rapiunt, quàm continent! In exuberanti fortuna *Provinciam retinere* plus esse quàm *facere*, ait Florus; deque
2.17.8. p.184. eo elegans est distichon Ovidianum:

2.de arte am. v.13.

Non minor est virtus quàm quærere parta tueri;
Casus inest illic: hic erit artis opus.

Augustus non amplius pro augendâ, sed conservandâ Monarchiâ vota suscepit, ratus, stabiliorem fore statum, si suis jam finibus, satis amplis, contentus nihil ulterius appeteret; non nesciens, desiderium istud insanum augendi imperii nocere, aut in ancipiti esse. Fluctuant, quæ nimis magna sunt, præstatque illud, quod tutius est, conservare, quàm augere, quod anfractus periculosos habet. Ut in omnibꝰ rebus, sic in imperiis est modus, ne avaris excedas votis, quod in Alexandro taxavit Augustus, qui plus studuerat provinciis
Plut. Apophtheg. p.262. provincias jungere, quàm retinere; nam audiēs, ὅτι Ἀλέξανδρος δύο καὶ τριάκοντα γεγονὼς ἔτη κατεστραμμένος τὰ πλεῖστα, διηπόρει, τί ποιήσει τὸν λοιπὸν χρόνον, ἐθαύμαζεν, εἰ μὴ μεῖζον Ἀλέξανδρος ἔργον ἡγεῖτο τοῦ κτήσασθαι μεγάλην ἡγεμονίαν, τὸ διατάξαι τὴν ὑπάρχουσαν, *Alexandrum, cùm natus annos* XXXIII *pleraque subegisset, anxium fuisse de re agendâ in reliquo tempore; Miror, inquit, Alexandrum non existimasse majoris esse operæ imperium partum bene constituere quàm parare.* Non victor est major, non prudentior, quàm qui intra metas suas coercere & continere potest victorias. Non existimavit Augustus, se ad illud fastigium fuisse evectum, ut haberet jam omnes in metu populos. Non oblitus suæ fortunæ, non Alexandri cupiditatum, novit se intra suam fortunam continere, compescere cupiditates regni proferendi, ut se magis muniret, *ea enim demum,*
4.1.p. 150. quod ait Valerius, *potentia tuta est, quæ viribus suis modum imponit; nihilque tam est præclarum, aut tam magnificum, quod non moderatione temperari desideret.* Confectis contentus, intra modum subsistere cupiditatem voluit, neque fortunam aut alienam lacessendam, aut suam periclitandam, more victorum insolentium statuit. Satur bellorum, quibus omnia commiscentur, otio felici frui maluit quàm è bellis discrimen subire regionum ulteriorum, quodq; constitisse sibi regnum tantâ sanguinis humani copiâ compertum haberet. Inde in extremâ conjuratione, cujus autor L. Cinna, ne

vivere

vivere quidem tanti clamabat esse, ut incolumitatem suam tot civium interitu redimeret. Idem negabat omnino bellum capessi oportere, *nisi cùm major emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur*; alioquin perinde fieri, ac si quis *aureo* piscetur *hamo*, cujus abrupti jactura nullo captu pensari posset. Suet.c. 25.p.87. Hàc sanè ratione nullum debet iniri bellum, nisi quod indixit necessitas. Rebus itaque ex sententia confectis *terrâ marique*, munit imperium, magnâ prudentiâ usus, contentusque fortunâ suâ rebusque præsentibus noluit augere & dilatare longiùs imperium, non ignorans præcipuam artem esse, non plus possidere, quàm queas defendere; ideo omnis ejus cura fuit, ut parta tueretur, consuluitque, τοῖς παροῦσι ἀρκεσθῆναι, *præsentibus contentum esse*, notante Dione. Τοῦτο γὰρ καὶ αὐτὸς οὕτως ἀεί ποτε οὐ λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἐτήρησε. παρὸν γοῦν αὐτῷ πολλὰ ἐκ τοῦ βαρβαρικοῦ προσκτήσασθαι, οὐκ ἠθέλησεν. l.56.p. 677. *Servavit hoc ipse constanter non verbis modo sed re ipsa; cum enim multa barbarorum in suam posset ditionem redigere, nunquam tamen voluit.* Cui Suetonius succinit, ajens: *Tantum abfuit à cupiditate quoquomodo imperium vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam barbarorum principes in æde Martis Vltoris jurare coëgerit, mansuros se in fide ac pace, quam peterent; à quibusdam vero novum genus obsidum feminas exigere tentaverit.* c.21.p. 83. Inde Julianus Cæsar in Cæsaribus suis Augustum sic differentem introducit: Οὕτω διεθέμην τὰ περὶ αὐτήν, ὥστε εἶναι δι' ὑμᾶς, ὦ θεοί, τὸ λοιπὸν ἀδαμαντίνην. οὐ γὰρ ταῖς ἀμέτροις ἐπιθυμίαις εἴκων, ἐπικτᾶσθαι πάντως αὐτῇ διενοήθην, ὅρια δὲ διττὰ ὥσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδεδομένα Ἴστρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἐθέμην. pag. 845. *Imperii statum sic disposui, ut adamantis instar solidus hostiles incursus non metueret. Neque immoderatis cupiditatibus morem gerens omnia undique parare, & dominio meo adjungere volui, sed duos imperio nostro limites, tanquam à naturâ fixos & datos,* Istrum & Euphratem, *posui.* Termini finesque imperii sub Augusto ab Oriente Euphrates, à meridie Nili cataractæ, deserta Africæ, monsque Atlas; ab Occidente Oceanus, à Septentrione Danubius & Rhenus, notante 1. Admir. Lipsio. Limites regnorum esse fatales Theologi sciunt, nec ignorant Politici. Rom. 3. Eos ut designent, assumunt certa flumina. p.8. Euphrates, ajunt, fuit fatalis limes imperii Romani, Hellespontus fuit Ax.37. fatalis limes imperii Persici. Videantur Richteri Axiomata Poli- p.113. tica.

tica. Termini quaſi fatales potentiæ Romanæ fuêre *Euphrates* & *Rhenus*, unde & populi accolæ, *Parthi & Germani*, junguntur, cùm de Romanorum agitur hoſtibus. Inde Virgilius:

Hinc movet Euphrates, *illinc* Germania *bellum.*

1. Georg. v. 509. De finibus agrorum & Imperii ab Auguſto conſtitutis Ovidius 2. Faſtorum agit, cùm Terminalia deſcribit ſacra.

v. 656. *Conveniunt celebrantque dapes vicinia ſupplex,*
Et cantant laudes, Termine ſancte, *tuas;*
Tu populos urbeſque & regna ingentia finis,
Omnis erit ſine te litigioſus ager.

Poſtea adulanti crenâ v. 683:

Gentibus eſt aliis tellus data limite certo,
Romanæ ſpatium eſt Vrbis & Orbis *idem.*

1. A. 9. 5. Erant elogia tunc publica *prudentum*, ſcribente Tacito, *Principis nomine conſtitutam Remp.* mari Oceano, *aut* amnibus longinquis *ſeptum imperium. Legiones, Provincias, Claſſes, cuncta inter ſe connexa. Ius apud Cives, modeſtiam apud ſocios, Vrbem ipſam magnifico ornatu, pauca admodum vi tractata, quò cæteris quies eſſet.* Fauſtum admodum imperium, ubi poſt bella tandem civilia,

Ovid. 1. Faſt. v. 68. *Otia terra ferax, otia pontus habet.*

Civilibus hactenus bellis, quæ totam per Italiam arſerant, Ærarium erat publicum exhauſtum, civitates conflagratæ & expilatæ, privatorum bona exhauſta, poſſeſſiones variè confuſæ, familiæ extinctæ & acciſæ. Conſulturus rei, quà privatæ quà publicæ, Auguſtus magnam in ſe & gravem ſuſcepit provinciam, ut corpus, magnâ tempeſtate diſſipatum, recolligeret & redintegraret. Senſerant omnes infortunia diſſenſionum, funera domorum, fructus immanium bellorum; nec erat tam miſera domus, tam miſera urbs, quæ non in miſeriore haberet vel ſpectaculum, vel ſolatium. In hac miſerâ rerum & fortunarum conditione res magni molimenti & emolumenti erat, Reſpublicas & Regnum reparare poſt diuturna bella, maximè civilia, à quibus quieti reducendæ totꝰ vacabat Auguſtus, compos ſui voti factus, ut ipſe ſolus præeſſet. E dignitate Principis unius erat, & intererat Regno, Civibus urbes augeri, Limitibus regnũ ſtabiliri, Legibus ſalutaribus ordinari, Coloniis confirmari, præſidiis militum defendi, juſto exercitu ſtatuminari,

minari, ærraria ditari. In hoc labore ſagax erat & prudens Auguſtus, mille aliis potior, qui non tam virtutum quàm artium politicarum magiſterio profecit in novo ordinando & connectẽdo Imperii corpore. Omnia hîc per partes ponere, & his, quæ propoſuimus in pericope, explanationes debitas coaptare, utique eſſet aptum, ſi omnia huc redigi poſſent, ſed quantum fieri poteſt, ſummam rerum aggrediamur. Primo Urbem urbanaſque res conſtituit Auguſtus, docetque Suetonius, quæ nova circa civitatis jura conſtituerit, aut abolita reſtituerit à cap. 32 ad c. 46, ubi incipit de iis agere, quæ circa jura Italicorum populorum ſanciverit; deinde cap. 48 agit de inſtitutis Auguſti circa Provinciarum jura. Regiones prius & Provincias, Romano imperio ſubditas, Civitates & Caſtella, Colonias & Municipia videamus, quàm ſubeamus cum equis & curribus Romam, brevitati ſtudentes neceſſariæ. Quicquid diſpoſuerat in Aſiâ, devicto Mithridate, Pompejus, quod deſcribit Appianus; quicquid poſt Pompejum Julius Cæſar aut M. Antonius, *A*uguſtus ita ordinavit poſt Ægyptum ſubjugatam, ut in unam Provinciarum copulam coierint, ὀλίγης ἔτι Ῥωμαίων προφάσεως ἐς ἑκάστους δεομένων, *Romanis quasvis occaſiones augendi imperii cupidè arripientibus.* Non ſine ſummo conſilio & auxilio ſub unum commune quoddam obedientiæ jugum reduxit tot Provincias & Regna, tot capita & membra. In Conſiliis Mecænatis ad Auguſtum legitur apud Dionem: Τὴν Ἰταλίαν πᾶσαν καὶ τἆλλα πάντα τά τε ἐν ταῖς νήσοις καὶ τὰ ἐν ταῖς ἠπείροις ὁμολογοῦντα ἡμῖν, κατάνειμον ἑκασταχόθι κατά τε γένη καὶ ἔθνη. *Vniverſam Italiam cæteraſque omnes ſubditas Romanis Vrbes & Inſulas diſtribuito ſecundum nationes & populos.* Succinctè, ut ſolet, Tacitus, de imperii diſpoſitione eximia. *Legiones, provinciæ, claſſes, cuncta inter ſe connexa.* Quot verba, tot paginæ, docteque de hâc connexione Boeclerus ad Tacit. p. 161, 162, 163, 164. In hâc connexione ſpectabat non modò *ſitum loci & conditionem*, ſed & *ingenia incolarum*; & quoque *opes & vires finitimorum*; hîcque notanda diſtributio Suetoniana in *Provincias validas* ſive bellicoſas & *minus validas* ſive imbelles, in his verbis: *Provincias validiores, & quas annuis Magiſtratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, Ipſe ſuſcepit; cæteras* Proconſulibus *ſortito permiſit, & tamen nonnullas commutavit interdum, atq;*

Mithrid. p. 251.
pag. 254
lib. 52. p. 548.
1. Ann. 9. 5.
c. 47. p. 110.

ex utroque genere pleraque sæpius adiit. Pacatiores provincias Senatui Populoque concedebat; robustiores verò sibi sumebat, quales erant *Hispania, Gallia, Ægyptus, Syria, Germania.* Quod *Germaniam* attinebat, ejus gentes interiores quia ob fortitudinem erant formidabiles Romanis, ideo ripam Rheni validissimo exercitu custodiebant. Provinciæ propriè dicebantur illæ regiones, quæ armis erant devictæ; & notanda locutio, *in provinciæ formam redigere*, cùm ita subjiceretur regio, ut Romanorum legibus regeretur, & à Magistratu, quem Roma præponebat, administraretur, vel à Proconsule & Proprætore, si Provincia esset populi; vel à Præside, si esset Cæsaris; tunc enim omnes imperii Rom. ex instituto Augusti bifariam erant divisæ, ut aliæ essent *Cæsaris*, aliæ *Senatûs Populique*; ut enim Senatui simulacrum quoddam pristinæ potestatis *Augustus* faceret, Provincias Imperii ita distribuit, ut aliæ essent sub Senatu & Populo. Ipse verò quasdam sibi servabat per Præsidem aut Legatum regendas *Præsidiales* hinc dictas, de quâ divisione agit contra Virum doctissimum Valesius Not. ad Excerpta p. 102, Savilius ad Tacit. p. 86. seqq. disseritque Cl. Gronovius egregiè hac de re peculiari Epistola ad me data, quæ seorsim excusa est. Oratione simulata de deponendo imperio Senatui im-
53.p.569. ponens Augustus, quam Dio recitavit, id impetravit, ut eum precarentur, ne id faceret, sed solus Remp. gereret, secutaque tunc fuit divisio Provinciarum inter se & Populum, quam tradit Dio p. 576, 577, ut redderentur Senatui & Populo omnes pacatæ provinciæ; quæ verò nondum sedatæ, à Cæsare retinerentur. Explicatius de divisione Provinciarum ab Augusto factâ agit Strabo lib. 17 fine,
pag.577. nempe in duas partes divisisse, πᾶσαν τὴν χώραν, καὶ τὴν μὲν ἀπέδειξεν ἑαυτῷ, τὴν δὲ τῷ δήμῳ, *omnem ditionem, ita ut partem sibi vindicaret, partem daret populo*; sibi quidem, ὅση στρατιωτικῆς φρουρᾶς ἔχει χρείαν, *quæcunque militum præsidio egeret*; populo autem reliquam, ὅση ἦν εἰρηνικὴ καὶ χωρὶς ὅπλων ἄρχεσθαι ῥᾳδία, *quæ pacata facilè sine armis sub imperio retineretur.* Diductius omnia tradit Dio lib. 53. p. 576, 577, 579. Res bellicas civiliaque negotia in Provinciis hactenus administrarant *Proconsules*, quod primus mutavit Augustus, sibi servans eas, quæ sine militari imperio regi non poterant; cæteras pacatiores Pop. Romano & Proconsulibus relinquens; utque Cæsar longiùs

longiùs Romanos *à suspicione Regiæ potestatis* abduceret, in Provincias imperium tantùm decennale voluit; hoc finito aliud & aliud quinquennium decretum; inde rursus decennium, adeò ut hôc schemate imperium per totam vitam tractaret; atque exinde Proconsulibus nec chlamydem, nec gladium gestare licuit, nisi quibus speciali Privilegio jus gladii daretur, erat autem jus gladii potestas animadvertendi in milites, docente Dione, qui ab Augusto institutum scribit, ut post *Prætores* quidam Ἀντιστράτηγοὶ, *Proprætores*, essent, qui militarem habitum gererent, gladioque cincti ambularent. Inter artes regni tuendi fuit nova divisio Provinciarum inter Se, Senatum & Populum, sed in arte fuit potentiores provincias sibi tribuere, infirmiores aliis, idque sub hoc colore, ne pelluceret statim dolus, scribente Dione, plus periculi habere, potentiores quæ essent provinciæ, ob hostes accolas vel novos motus, inde illis depinxit τὸ ἀσθενέστερον, ὡς εἰρηναῖον καὶ ἀπόλεμον, τὸ δὲ ἰσχυρότερον, ὡς σφαλερὸν καὶ ἐπικίνδυνον, *infirmius, tanquam pacatius; nullisque turbis obnoxium; potentius, tanquam periculosius;* ast, quod πολιτικώτατος historicus addit, ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ ἐκεῖνοι μὲν ἄοπλοι καὶ ἄμαχοι ὦσιν, αὐτὸς δὲ δὴ μόνος καὶ ὅπλα ἔχῃ καὶ στρατιώτας τρέφῃ, *sub hoc prætextu Senatum Populumque verè inermem imbellemque efficiebat, & ad se solum arma militesque transferebat.* Senatus ne de se, tanquam conditore Monarchiæ, sentiret secius, voluit provinciis jam sortitis ut præficerentur Magistratus, ἐκ τοῦ κοινοῦ τῆς γερουσίας συλλόγου, *de communi Senatûs consilio*, teste eodem Dione. A Populi vi Senatûsque suspicione cùm nondum egisset radicem vis imperii, metuendum adhuc erat, unde populus, ne invaderet, erat libo & offâ emolliendus. Deplorabat suo tempore Cicero eos invaluisse mores, ut Leges à Provinciarum Curatoribus & Judicibus negligerentur, vitiaque varia increbrescerent, quæ indignitas rerum gerendarum hac ei verba expressit: *O conditiones miseras administrandarum Provinciarum! in quibus diligentia plena simultatum, negligentia vituperationum; ubi severitas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus; iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ. Venientes Prætores expectant, præsentibus inserviunt, abeuntes deserunt.* Querelæ hæ ne audirentur, im-

Dio l.53. p.577.

pag.578.

p.576.

p.577.

Orat. pro Flacco col.516.

pensâ operâ studuit Augustus, neve adducerentur in discrimen
Provinciæ, ipse eas lustrabat, exploraturus robur regni, situs locorum, populorum ingenia, Magistratuum munia, cautione imitandâ. A.738 in Galliam peregrinatur, Dio lib.54.p.610,611, isque de Augusto, res Gallicas & Hispanicas componente, paucis lib.52.
p.586. Γαλατιῶν καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο, καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε. κἀντεῦθεν ἔς τε τὴν Ἰβηρίαν ἀφίκετο, καὶ κατεστήσατο καὶ ἐκείνην. *Censum Gallorum instituit, vivendi modum præscripsit, Rempublicamque formavit. Inde in* Hispaniam *profectus eam quoque* Provinciam *constituit.* In Siciliam proficiscitur, ut eam omnesque alias ad Syriam usque provincias constitueret, Dio lib.54.p.
600, cujus etiam verba p.601: Ὁ Αὔγουστος τά τε ἄλλα ἐν τῇ Σικελίᾳ διοικήσας, καὶ τὰς Συρακούσας, ἑτέρας τε τινὰς πόλεις ἀποίκους Ῥωμαίων ἀποδείξας, ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπεραιώθη ..... ὁ γοῦν Αὔγουστος τό, τε Ἑλληνικὸν διήγαγε, καὶ ἐς Σάμον ἔπλευσεν, ἐνταῦθά τε ἐχείμασε, καὶ ἐς τὴν Ἀσίαν ἐν τῷ ἦρι κομισθεὶς πάντα τά τε ἐκεῖ καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ διέταξεν. *Augustus rebus in Sicilia ordinatis, Syracusisque & aliis quibusdam urbibus ad Colonias Romanorum destinatis in Græciam transjecit. Rebus in Græciâ confectis in Samum navigavit, ibique hyemavit. Vere in Asiam perrexit, ibique & in Bi-*
Dio lib. *thynia omnia constituit.* Improbo labore, ὡς οὐδενὸς ἔτι δεινοῦ παρὰ
51.p.509. τῶν ἐστρατευμένων ἐσομένων, τά τε ἐν τῇ Ἑλλάδι διῴκησε. ἔς τε τὴν Ἀσίαν
κομισθεὶς, καὶ ἐκεῖνα προσκαθίστατο, *quasi nullo jam imminente à Veteranis amplius periculo,* res Græciæ constituit; *deinde in* Asiam *pro-*
Tac.1. *fectus, res quoque ibidem ordinavit.* Provincia *aditu difficilis* Ægy-
Hist.11.1. ptus maximæ curæ fuit, interque dominationis arcana, teste Taci-
2.A.51. to, habuit, *seponere Ægyptum, vetitis, nisi permissu, ingredi Senato-*
4. *ribus, aut Equitibus Romanis inlustribus*, ubi Lipsius ad Tac. Hist.
p.310. Inter Europæas regiones *Italia*, *Gallia* & *Hispania* magno
impendio constitutæ. Vicinior Italia facilius longeque minori o-
Suet.c. pere exornari poterat, quam *duodetriginta coloniarum numero de-*
46.p. *ductarum ab se frequentavit, operibusque ac vectigalibus publicis*
109. *plurifariam instruxit.* Italiæ ex Augusti divisione undecim fuerunt
p.284, regiones, de quibus Savilius in Tacitũ. Galliarum nimium amans
285,286. Galliam aliter divisit quàm Julius Cæsar, quam divisionem tradit
Strabo 4 Geogr. p.122, erantq; provinciæ, Narbonẽsis, Aquitania,

Lugdu-

Lugdunensis & Belgica, eamque partitionem ex Strabone docent Varrerius Censurâ in Berosf. p. 22; Salmas. de Primatu c. 16, p. 261, 262. Narbonensem Galliam & Cyprum fuisse concessas Populo, cùm ipse prius eas retinuisset, refert *Dio*, missosque Proconsules à Populo Rom. in utramque provinciam fuisse. Hispania divisa in duas provincias, *Citeriorem & Vlteriorem*. Illa *Terraconensis* dicta; hæc divisa in *Bæticam & Lusitaniam*. Bætica populi fuit, & in eam missus Proconsul. Legatur Lipsius in Tacit. 1. Hist. p. 312. Hispania sicut Europæ terminos claudit, Justino scribente, ita & hic de Provinciis claudemus illis verbis, quibus finis est Justini historiæ. *Nec prius perdomitâ provinciâ jugum Hispaniæ accipere potuerunt, quam Cæsar Augustus perdomito orbe victricia ad eos arma transtulit, populumque barbarum ac ferum, legibus ad cultiorem vitæ usum traductum in* formam provinciæ *redegit.* Provincias & Regiones *Coloniæ* ornabant, primamque Italiam nominamus, quam Augustus *duodetriginta coloniarum numero frequentasse* notavimus. Exhaustâ per civilium bellorum clades Italiâ multas colonias deduxit Augustus, ut agros & ditiones imperii desolati iterum expleret, & in novam redigeret faciem. Id Suetonius cum de *Italiâ* notasset, addidit: *Etiam jure ac dignatione Vrbi* (Romæ) *quodammodo pro parte aliqua adæquavit*, excogitato *genere suffragiorum*, (colonicorum) *quæ de Magistratibus Vrbis* Decuriones Colonici *in sua quisque coloniâ ferrent, & sub diem Comitiorum obsignata Romam mitterent.* Majorem sic autoritatem ex gratiâ Augusti accipiebant Coloniæ Civium Romanorum, suffragiorum etiam ratione habitâ aliâ, ut non necesse fuerit amplius eorum gratiâ Romam eundi, quod non sine difficultate & molestiâ hactenus contigerat. *Excogitasse* itaque dixit *genus suffragiorum*, quo ipso solertiam Augusti commendavit. Commendabant Coloniæ locum, ubi instituebantur, nam observabantur ea loca, quæ situs & commoditatis occasione præstabant; utque major esset Coloniarum dignitas, *jure ac dignatione Vrbi quodam modo pro parte aliquâ adæquavit* Augustus; coloniæ quippe, quod ait Gellius, *ex civitate quasi propagatæ sunt propter amplitudinem majestatemque pop. Romani, cujus istæ coloniæ quasi* effigies parvæ simulacraque *esse* quædam *videntur.* Præiit more coloniarum mittendarum Romulus, qui

lib. 54. p. 598.

44. 5.

Suet. c. 46. p. 109.

16. 13. *p.* 597.

qui in locos à se captos ab urbe colonos deduxit, quâ re, quod Sigonius judicat, *vel ad libertatem firmandam, vel ad propagandum imperium fingi accommodatius nihil potuit.* Quomodo agri ab Imp. Augusto divisi, quomodo coloniæ militares ab eo constitutæ fuerint, docet idem Sigonius 3. de antiq. Jure Ital. p. 251, 252, 253, quem etiam Provincias coloniis frequentasse notat 1. de antiq. Jure Provinc. 2. p. 263, 264, ut aliis oppidis *Civitas*, aliis *Latinitas*, aliis *Ius Italicum* tribueretur. Coloniæ militibus emeritis præprimis concessæ, quales multas Augustum & Antonium deduxisse, victis Bruto & Cassio, ex Appiano docet Lazius. Coloniæ fermè erant ex milite, nec firmior institutio, quàm ex militiâ. Milite & copiis muniendum erat Imperium, Romanusque mos & institutio, notante Lipsio, duplici viâ *Provincias munire, Copiis & Coloniis*, diximusque de Coloniis, quamvis non copiosè, vetante occasione; nuncque *de Copiis* itidem breviter dicendum. Copias cum *Lipsio* intelligimus *perpetuum militem*, qui ad imperii tutelam ex instituto. Non est aliud in rebus regni administrandis salutarius, quàm sapientum & disertorum Virorum consiliis idoneis uti, maximè turbulentis & difficillimis regni temporibus, ubi necesse est, adsit, qui *sapienter pleraq; in novo imperio aut instituit, aut restituit, ut res visa postulare.* Optimè disposuit omnia Augustus, tū in iis honoribus, qui *militares* erant; tum in dignitatibus, quæ *in Vrbe* aut *in Provinciis* erant. Quid agendum esset in communis Regni & Provinciarum utilitatem, consultus Mecænas, optimum pro regno constituendo dedit monitum: Τοὺς δὲ δὴ, ait, στρατιώτας ἀθανάτους ἔκ τε τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ὑπηκόων τῶν τε συμμάχων, τῇ μὲν πλείους, τῇ δὲ ἐλάττους, καθ' ἕκαστον ἔθνος, ὅπως ἂν ἡ χρεία τῶν πραγμάτων ἀπαιτῇ, τρέφεσθαι προσήκει, καὶ αὐτοὺς ἀεί τε ἐν τοῖς ὅπλοις εἶναι, καὶ τὴν ἄσκησιν τῶν πολεμικῶν διαπαντὸς ποιεῖσθαι δεῖ. *Milites perpetui* (*immortales* textus habet scitè) *sunt alendi, ex civibus, fœderatis ac subditis delecti, ad provincias tutandas, pro ratione necessitatis, temporibus diversis, plures paucioresve, qui semper in armis sint, bellicasque artes assiduò exerceant.* In pace bellum ut metuendum, ita pro liberando metu Augustus *perpetuum militem* aluit, contra motus subitos, & ad tutelam regni, & ad plebem Romamque facile mutabilem coercendam. Disciplina militaris, *præcipuum decus & stabilimentum*

Rom

2 de ant. jure It. 2. p. 203.

12. R. R. 2. p. 892.

1. Magn. Rom. 4. p. 13.

Dio lib. 52. p. 552.

Rom. Imperii fuit, in cujus *sinu*, ait Valerius Max. *ac tutela serenus* 2. 7. 1.
tranquillusque beatæ pacis status acquiescit; quare Augustus nullo p.70.
in negotio tam fuit negotiosus, quàm in militiâ ordinandâ; in ap-
paratu commeatus & stipendii, ut exercitui alendo esset satis. Eò
facit egregius locus ICti Macri ex Paterni autoritate, debere *l.12.§.1.*
eum, *qui se meminerit armato præesse, parcissimè commeatum dare*; *lib. 49.*
equum militarem extra provinciam duci non permittere; ad opus pri- *tit.26 ff.*
vatum, piscatum, venatum, militem non mittere; nam in disciplinâ *de re mi-*
Augusti *ita cavetur*. Quàm optima fuerit militiæ Romanæ disci- *lit.*
plina & ordinatio egregio *de Militiâ Romanâ* libro tradidit Lip-
sius. Ut miles suo fungeretur bene officio, aut pœnâ aut præmio
continebatur, promtus timore supplicii, alacer præmii amore. Sin-
guli ita munerum militarium partes obibant, ac si ad quemlibet
totum pertineret negotium. Ordinarunt Romani Militiam neces-
sitate ordinis & distinxerunt in *Legiones*, *Cohortes*, *Centurias*, *De-
curias*, *Manipulos*, munera bellica magna prudentia mutuaque o-
pera dispescentes. Legio in Cohortes, hæ in Centurias, Centuriæ
in Contubernia distribuebatur. Cohortibus *Tribuni*, Centurio-
nes seu Centenarii *Centuriis*, Contuberniis *capita* præpositi, quæ
etiam *Capita Scholarum* dicta, notante Valesio. Exquirebatur au- *in Mar-*
tem omni cura, quo medio, quibusve sumtibus exercitus alendus. *cell.l.25.*
Necessarium devinciendum ad militem medium erat *pecunia*, in *p.310,311.*
qua est nervus belli, bonum militem efficiens; quinque enim ab
militiam necessaria, bonus Dux, bonus miles, bona fortuna, bona
pecunia, bona disciplina. Ejus disciplinæ studium incredibile sem-
per fuit apud Romanos, de quo Livius: *Disciplinâ militari stetit* 8,7.11.
ad hanc diem Romana res. Stabat præcipuè tempore Augusti, &
ut solidè staret, *in re militari* (verba sunt Suetonii) *& commutavit* c.24. p.
multa & instituit, atque etiam ad antiquum morem nonnulla revoca- 85.
vit. Disciplinam severissimè *rexit.* Quæ hæc severitas? Exempla ibi
legenda. Gravior & severior erat, autoritatis servandæ causâ, Au-
gustus in disciplinâ militum, quàm Julius, adeò ut etiam abhorre-
ret à voce humili *Commilitonis*, quo tamen libenter Julius in com-
pellandis militibus solebat uti. Cùm Suetonius notasset cap. 24
disciplinam militarem severissime rexisse, sive, ut Codices nonnulli
habent, *exegisse*, simul exprimit cap. 25 displicuisse illud *Commilito-*

nis nomen, tanquam depressius & longè infra majestatem augu-
pag.86. stæ domus. *Neque*, ait, *post bella civilia, aut in concione, aut per edictum, ullos militum* Commilitones *appellabat, sed* Milites; *ac ne à Filiis quidem,* (adoptivis, Cajo & Lucio) *aut Privignis suis,* (Tiberio & Druso) *imperio præditis, aliter appellari passus est; ambitiosius id existimans, quàm aut ratio militaris, aut temporum quies, aut* sua domusque suæ majestas *postularet*. Alius status alios mores & nomina postulabat, Juliique comitas inter civilia plusquam bella erat necessaria, quo per blandimenta suos milites demereret, & in officio promtiùs retineret; nec negligendum hîc, quod ait, *post bella civilia*, nam antea nec ipsum Augustum à blanditiis hisce aversò fuisse animo ex historicis libris patet, neque prætereunda illa verba de *temporum quiete* & de *domûs* regnatricis *majestate*. Olim autem nondum erat sub Julio quies constituta, nec domus imperatoria firma; sed cum temporum momenta essent versa, durior etiam incipiebat fieri Augustus, ne molliretur autoritas regnantis, cumque abundè omnia haberet & valeret, non sicut antea vulgari modestiâ usus fuit erga militem, sed immutatâ loquendi formulâ assumsit alios mores pro magnitudine & gravitate summæ fortunæ; ad pompam jam & magnitudinẽ imperii se inflectens, de
in Tac. Ann. p. 124. quo vide Dn, Boeclerum. Vetus canon est regnantium, imperium *vi & armis* si occupetur, vi quoque & armis stabiliendum esse, *continentur enim victi*, quod ait Curtius, *non suis moribus*, sed *Vi-*
6,3,8. *ctoris armis*. Contendit hâc arte Augustus exercitum sibi facere ex Veteranis, in suum simul & Regni auxilium, quantâ potuit largitione. Vigor hinc regni omnis, milite alacri in *Urbe, Provinciâ, Mari*, nam triplici hoc funiculo connectendum erat regnum, nec omittendum quicquam, quod usui videretur. Celebritas ex loci conditione *Urbi Romæ* primùm deferenda, ubi milites triplicis generis erant, *Prætoriani, Urbani, Vigiles*, qui serviebant stipendio. Tabernaculum Ducis dicebatur *Prætorium*, quod bella admini-
col.377. strantes initio *Prætores* essent, qui postea Consules, ait Festus. *Augustale* vocat Quintilianus 8.2. p.382. Legatur Lipsius 5. Milit. 2. p. 215, 216. Quicquid tum Urbs pulchri habuit, id in gravitate militiæ fuit. Defuncto Julio Cæsare *Dictaturæ perpetuæ* ratio sub Imperatoribus obsolevit; & instituta *Præfectura Prætorio* ab Augusto primùm

primùm, quem pro custodia corporis sui decem millia militum habuisse, illique Legioni fuisse suos fasces, Dio testatur. Milites, qui illi suberant, *Prætoriani* dicebantur, inque cohortes divisi destinabantur in munimentum novi Principatûs & ornamentum Principalis statûs, docente Boeclero. Prætorianorum ad custodiam corporis destinatorum, erat munus excubias in Palatio agere, in publicum prodeuntem Principem comitari. Suetonius cap. 49. p. 111: *Certum numerum militum partim* in Urbis, *partim in* sui custodiam *allegit*. Cùm imperium, tanta auctoritate & solicitudine comparatum, non esset sine metu conspirationũ, & Augustus *ne ultimæ quidem sortis hominum conspiratione & periculo careret*, observante Suetonio, conjuratorumq; quorundam exprimente nomina, cavit sibi justo milite & lorica, quam gestabat. *Lorica sub veste munitum ferroque cinctum* memorat Suetonius. Princeps & Imperator nemo est, qui se tutum ab insidiis possit gloriari. Secundiora sæpe magis adversa, & periculo haud caret status regni etiam optimus. In summo culmine honoris stabat Augustus, sed liber non erat *ne quidem ab ultimæ sortis hominum conspiratione*. Sic nihil tuti uspiam summæ est potentiæ, insidiantibus maximis, mediocribus, infimis. In Tyrannis quidem nihil mirum, ut omni loco, omni tempore, ab omnibus sibi metuant. Metuat enim omnes necesse est, quem metuunt omnes. Magis inde solicitus *stipatoribus perpetuis* se munit & satellitium circa se habet ἀκριβεῖ φρουρᾷ, *accuratiori custodia*, Dione recensente lib. 53 p. 576, & lib. 55 p. 647, Julii aliorumque exemplo cautior. Hoc periculum ante oculos statuit, non sine supercilii amabilis nube, Livia, quam, quanti etiam hoc in consilio fecerit, ostendit negotiorum civilium communicatio, qualis fuit de Satellitii necessitate, ubi vicit fæminæ sententia, quam disceptationem jocundam designavit *Dio*. Erant tunc ad custodiam, instar omniũ, fideles corporum custodes *Germani*, quos circum se habuisse testis Suetonius. Non contentus Germanorum fidelitate Caligula *Germanis corporis custodibus præposuit Thraces*, teste eodem, quod tanquam insolitum recensetur. Pro *custodia Urbis* nunquam plures quàm *tres cohortes* passum fuisse Augustum, easque *sine castris*, scribit Suetonius cap. 49. p. 111, reliquos *in hiberna & æstiva* circa finitima oppida dimittere solebat. Juxta *Dionem* verò Urbis custodes

l. 55. p. 647.

in Tac. pag. 118.

c. 19. p. 82.

c. 35. p. 98.

lib. 55. p. 639.

c. 49. p. 111

Cal. 55. p. 269.

l.55.p. des ἑξακισχίλιοι, καὶ τετραχῆ νενεμημένοι. *Sex millia , & in quatuor*
647. *partes divisi.* Mutari hæc solent subinde, nec certus numerus exigi
potest. Expediebat fieri, quod necessitas exigebat. Provisum aliâs,
ut *septem Cohortes* opportunis constituerentur locis, atque binas
Urbis regiones unaquæque Cohors tueretur, præpositis Tribunis,
& super omnes spectabili Viro, qui *Præfectus Vigilum* appellaretur.
Id docent Paulus & Ulpianus *Digest.* de Officio Præf. Milit.
Injunxerat Augustus seriò Præfectis Vigilum, ut curam haberent
rei incendiariæ, de eo, quomodo incendia sint arcenda, valdè
c.30.p. solicitus; inde Suetonius: *Adversus incendia, excubias nocturnas*
93. *vigilesque commentus est.* De his nocturnis custodibus accuratè or-
lib.55.p. dinatis Dio: Ἐπειδὴ πολλὰ τῆς πόλεως πυρὶ διεφθάρη, ἄνδρας τε ἐξελευ-
648. θέρους ἑπταχῆ πρὸς τὰς ἐπικουρείας αὐτῆς κατελέξατο, καὶ ἄρχοντα αὐτοῖς
προσέταξεν. *Quum multa in urbe incendiis essent vastata*, libertinos
septem locis excubiarum ei rei curandæ constituit, atque Equitem *eis*
præfecit. Addit Dio suo tempore eos custodes non ex libertinis
tantùm, sed ex aliis etiam militibus in usu fuisse. Detrimenta urbis
lib. 5. (ἐλαττώματα vocat Strabo) ex incendio ne fierent, συνέταξε
Geog.p. στρατιωτικὸν ἐκ τῶν ἀπελευθέρων τὸ βοηθῆσον , *constituit cohor-*
162. *tem Libertinorum , quæ opitularetur.* Quomodo ante Au-
gustum huic rei provisum fuerit , docet Paulus ICtus tit. D. de
officio Præf. Vigilum, ajens : *Apud vetustiores incendiis arcendis*
Triumviri praerant, qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni *dicti*
sunt; aliisque interjectis ait demum : *Divus Augustus maluit per se*
huic rei consuli. Optimè & cum effectu disposuit omnia non tàm in
dominio Urbis quàm Provinciarum. Provincialis miles *in tutelam*
Provinciarum per præsidia atque custodias ubique dispositus vigilabat,
4.12.26. recensente id peculiariter de Germania Floro. Recenset Orosius
6.20.p. XLIV Legiones ab Augusto *ad tutamen orbis terrarum* distributas
535. fuisse per imperium. Diligenter statuit de his Legionibus Respublica
Rom. ante Augustum , statim post creatos Consules & Præ-
lib.27,30, tores; unde Livius toties: *Una & viginti Legionibus defensum Impe-*
31,34. *rium Rom. est.* Viginti *omninò* Legionibus *& CLX navibus res Ro-*
mana gesta. Sex Legionibus *Romana eo anno usa Resp. erat. Placuit*
octo *omnino* Legiones *essent.* Cessantibus bellis civilibus constituit
Augustus in Provinciis & limitibus imperii XXIII Legiones cum

suis

ſuis auxiliis, teſte Dione, h.e. ducenta ſeptuaginta ſex millia mili- *lib.55.p.*
tum, ex calculo Savilii. Maritimam inprimis neceſſe habuit impe- 645.
perii cuſtodiā inſtituere, *duabus claſſibus* conſtitutis *in Italiâ*, alterâ *de Milit.*
ad Miſenum in mari infero, causâ cohibēdæ Galliæ, Hiſpaniæ, Mau- *p.* 421.
ritaniæ, Africæ, Ægypti, Sardiniæ & Siciliæ. Alterâ *Ravennæ* in ma-
ri ſupero, tutandæ regendæque Macedoniæ, Epiri, Achaiæ, Aſiæ,
Cretæ, Cypri. Extra Italiam verò unâ conſtitutâ in Ponto Euxi-
no pro defendendis iſtis regionibus. De claſſicâ militiâ hâc Sueto-
nius: *Ex militaribus copiis* Legiones & Auxilia *provinciatim di-* c.49 *p.*
ſtribuit; Claſſem Miſeni, & alteram Ravennæ ad tutelam ſuperi & in- 111.
feri Maris collocavit. Eodem Tacitus modo: *Italiam utroque ma-* 4. *An.*
ri duæ Claſſes, Miſenum apud & Ravennam præſidebant. Accura- 5.1.
tius id tradit Vegetius 4.31.p.109, cumque eo Lipſius 1. Admir.
Rom. 5.p.22. Claſſem apud Ravennam locaverat providus Augu-
ſtus, utque eſſet opportunior ſtatio, foſſa ab urbe ad quatuor mil-
lia paſſuum acta, quæ hinc dicta *Foſſa Auguſta*, de quâ in Padi o-
ſtiorum expoſitione agit Cluverius. Miles in Claſſe qualis & 1. *Ital. an-*
quantus fuerit, docet Lipſius 1. Magn. Rom. 5.p.21 ad 28. Quis nu- *tiq.*34.
merus, quæ loca Claſſium & Militum Imperii Romani tempore *p.*399.
Tiberii fuerint, tradit libro quarto Annalium Tacitus. Diximus *c.*5.*tot.*
ſine diſcuſſione, de connexione Imperii per *Colonias* & *Militiam*,
nunc quæ illa connexio ulteriùs expendenda per *Ærarium & Fi-*
ſcum, idque primùm ductu Suetonii de ærario militari: *Ut perpe-*
tuo ac ſine difficultate ſumtus ad tuendos milites proſequendosque ſup- c. 49. *p.*
peteret, Ærarium militare *cum novis vectigalibus inſtituit; & quò* 112.
celerius, ac ſub manum annuntiari cognoſcique poſſet, quid in pro-
vincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per mili-
tares vias, dehinc vehicula diſpoſuit, ut qui à loco perferrent literas,
iidem interrogari quoque ſi quid res exigeret, poſſent. Ut rei militaris
erat peritiſſimus Auguſtus, inque gloriâ peditatus equeſtriſque
armaturæ ſplendore fuerat formidabilis factus orbi & urbi, ſoler-
tia qua potuit omni egit, ut non tantùm armis aſſueſceret Roma-
nus, ſed & ut ad alendum juſtum exercitum pecunia, agri & fru-
mentum, ſine difficultate præſto eſſent. Prima cura fuit de *Æra-*
rio militari, ut largum eſſet ad impendia ſuſtinenda. Operam in id
impendit omnem, ut ex hoc fonte perpetui rivi fluerent. Mediis

id egit variis, ut commodè procedere posset. Eum in finem εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ πενήτων καταλείπωσι, κατεστήσατο, *instituit, ut* vicesima pars hæreditatum ac Legatorum, *exceptis iis, quæ proximè generé junctis ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in* ærarium militare *inferretur*. Idem Dio lib. 52. p. 647: Ἐσήνεγκεν ὁ Αὔγουστος χρήματα, καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ ὑπὲρ τοῦ Τιβερίου ἐς τὸ ταμιεῖον, ὃ καὶ στρατιωτικὸν ἐπωνόμασε, καὶ τρισὶ τῶν ἐστρατηγηκότων τοῖς λαχοῦσιν, ἐπὶ τρία ἔτη διοικεῖν προσέταξε. *Augustus pro se & Tiberio pecuniam* Ærario, *cui* militaris *nomen indidit, intulit, ejusque administrationem Prætoriis tribus sorte lectis ad triennium mandavit.* Magno sumtu Legiones alebantur per varias Imperii partes, supputationemque hoc facit modo Sleidanus: *Ad provinciarum Imperii tutelam legiones aluisse scribitur Octavius* XLIV, *& in Ægypto quidem ternas, in Hispania totidem, per Germaniam octonas. Quantus autem fuerit ejus rei sumptus annuus, nonnulli rationem inierunt, & ad* centies atque vicies centena coronatorum aureorum millia *ponunt, sic ut in singulas legiones annua ducenta septuaginta duo distribuant aureorum millia. Legionem verò sex millibus peditum censent, Equitibus quingentis.* Totam hunc computationem transtulit ex Budæi libro tertio de Asse. Videndus Lipsius cap. de Ærario militari in Admirandis pag. 54, 55, 56, 57, 58. De Reditibus aliâs sciendum, qui ex Provinciis, Provincias imperii fecisse alias *A*ugustum *publicas*, alias *Principis*; quæque Principis erant, illarum reditus *Fisco*; cæterarum *Ærario* attribuebantur; ita enim cæperat cum divisione fieri distinctio vocabulorum, quorum antea fuerat usus indifferens. Sed discrimen saltem erat nomine, non re, dicente Dione: λόγῳ μὲν γὰρ τὰ δημόσια ἀπὸ τοῦ ἐκείνου (Αὐγούστου) ἀπεκέκριτο, ἔργῳ δὲ καὶ ταῦτα πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ ἀνηλίσκετο. *Nomine quidē publicæ opes separabantur ab illis Augusti propriis, sed ut ex ejus arbitrio tantū expenderētur.* De differētiâ hac *ærarii & fisci*, sive Imperii & Principis Tacitus ait: *Bona Sejani ablata* ærario, *ut in* fiscum *cogerentur*. Plinius Panegyrico: *Fortasse non eadem severitate* Fiscum, *quâ* Ærarium *cohibes. Imò tanto majore, quando plus tibi licere* de tuo, *quàm* de publico *credis*. Spartianus in Hadriano: *Damnatorum bona in* fiscum privatum *redigi vetuit, omni summa in* ærario publico *receptâ*. Quid cum æ-

Dio lib. 55. p. 648.

1. de S. Imp. f. 59.

p. 55 80. 3

6. A. 2. 1.

rario

rario Augustus egit? Dio lib.53.p.568. Ἐπειδὰν χρημάτων τῷ δημο-
σίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ. *Publico Ærario pecuniis
egente mutuo sumtas in id contulit.* Administrationi etiam ut consu-
leret, δύο κατ' ἔτος ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων αἱρεῖσθαι ἐκέλευσε, *quotannis
præfici jussit binos prætorios Viros.* Idem Dio lib.55.p.631. Ὁ Αὔγουστος
ταμίας ἔν τε τῇ παραλίᾳ τῇ πρὸς τῇ πόλει, καὶ ἐν ἑτέροις τισὶ τῆς Ἰταλίας
χωρίοις ἄρχειν ἐποίησε. καὶ τοῦτο καὶ ἐπὶ πλείω ἔτη ἐποίησε. *Quæstores
in ora maritima prope urbem, & aliis Italiæ locis ut præessent, consti-
tuit, idque pluribus annis fecit.* In utrasque provincias Cæsar mitte-
bat *Procuratores*, qui administrationem tantùm rerum fiscalium
habebant, non etiam pœnæ constituendæ jus, nisi quando vice
Præsidis fungebantur, eoque Pontii Pilati imperium criminale
Cujacius refert. Quàm satageri trerum, id etiam arguit, quod Li- *19. Obs.*
bellum semper secum habuit, quo consignaverat τὰς δυνάμεις καὶ *13.*
τὰς προσόδους, *exercitus & reditus publicos*, notante Dione. Teste *lib.53.p.*
Suetonio habebat *Rationarium Imperii* c.28.p.90, quod nominat *592.*
rationes imperii in Calig.c.16.p.234; Ut *rationes Libitinæ*, in Ner.c.
39.p.356. in quas peste mortui referebantur, quas *Ephemeridem li-
bitinariam* diceres. Rationarium invenias pro libro, in quo vel
contractuum, vel gestarum rerum rationes comprehenduntur.
Exemplo Augusti Caligula rationes publicarum pecuniarum, jam
inde à secessione Tiberii non vulgatas, omnes conscripsit & edi-
dit, quod inter laudabilia ejus facta recenset Dio. Ad has rerum *lib.59.p.*
rationes *Frumentationem* referemus, aliquid de ea re frumenta- *742.*
ria, qua civilis præsertim societas continetur, adjicientes, nempe
accuratè providisse Augustum, *populum Annona pelliciendo*, Taci- *1.A.2.2.*
to dicente; explicatè verò Suetonius: *Populi recensum vicatim egit;* *c.46.p.*
ac ne plebs frumentationum causâ *frequentius à negotiis avocaretur,* *101.*
*ter in annum quaternûm mensium tesseras dare destinavit; sed deside-
ranti consuetudinem veterem concessit, ut sui quisque* (cujusque)
mensis acciperet; ut & cap.XLI: *Frumentum in annonæ difficultatibus* *pag.103.*
sæpè levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est. Legen-
dus Lipsius 1. Elect.8.p.375. Augustum aliquando impetus cepe-
rat frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum
fiducia agrorum cultura cesserat. Perreptare omnia, quæ huc per-
tinent, non est hujus loci. Urbem jam, relicta militia, intremus, vi-

suri *Civitatem & Cives, Senatum & Populum, Curiam & Templa;*
Ædificia, in quibus industriam intueri licet memoriâ dignam.
Primò videamus Augustum, *augentem Urbem Romam*, in quâ or-
nanda nil omisit quicquam, ad quod studium eum exhorta-
Dio lib. tur Mecænas, dicens: Τὸ μὲν ἄστυ τοῦτο κατακόσμει πάσῃ πολυτελείᾳ,
52.p.554. καὶ ἐπιλάμπρυνε παντὶ εἴδει πανηγύρεων. προσήκει τε γὰρ ἡμᾶς πολλῶν
ἄρχοντας ἐν πᾶσι πάντων ὑπερέχειν. *Romam omni magnificentia exor-*
nabis, omni ludorum genere condecorabis, nam quia multis impera-
mus gentibus, conveniens est nos omnibus aliis antestare. Divisa ab
Augusto fuit tota Urbs *εἰς δεκατέσσαρα μέρη in* XIV *partes*, & uni-
cuique parti Magister constitutus. Id reliquit scriptum *Dio* lib.
c.30.p. 55 p.634. *Spatium Urbis,* inquit Suetonius, *in regiones vicosque di-*
93. *visit.* Urbem magna ex parte per tot civilia bella exhaustam, eva-
cuatam & quasi desolatam reddidit plenã *Augustus*, qui apud Dio-
lib.56.p. nem: Τὴν Ῥώμην γηΐνην παραλαβὼν, λιθίνην ὑμῖν καταλείπω, οὐ πρὸς τὸ
676. τῶν οἰκοδομημάτων αὐτῆς ἀκριβὲς, ἀλλὰ πρὸς τὸ τῆς ἀρχῆς ἰσχυρὸν ἐνδειξά-
μενος. *Romam quam* terream *accepi,* lapideam *vobis relinquo, quo*
non ædificiorum elegantiam, sed firmitatem imperii innuere voluit. At
c.29.p. Suetonius non nisi de publicis ædificiis accipit, cujus verba:
91. *Urbem, neque pro majestate imperii ornatam, inundationibus in-*
cendiisque obnoxiam, excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, marmo-
ream *se relinquere, quam* lateritiam *accepit.* Capite 30. p.93.
Ædes Sacras vetustate collapsas aut incendio absumtas refecit; eas-
que & cæteras opulentissimis donis adornavit; utpote qui in cellam Ca-
pitolini Iovis sedecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas
quingenties Hs. una donatione contulerit. Splendor ædificiorum
36,15. Romanorum describitur à Plinio, ubi inter *pulcherrima opera, quæ*
p.506. *unquam,* ponit *Forum Divi Augusti,* & inter præcipua opera re-
c.29. p. censet *Templum Martis ultoris* Suetonius: *Publica,* inquit, *opera*
91. *plurima extruxit, ex quibus vel præcipua,* Forum *cum æde Martis*
Vitoris; Templum Apollinis *in Palatio; ædem Tonantis Iovis in Ca-*
pitolio; ubi Torrentius p.118 putat, duo extitisse Templa Martis
Ultoris Romæ, unum in Foro, alterum in Capitolio; & rationem
dat, quod non eadem in Veteribus Nummis Templi forma con-
spiciatur. Quæ Templa, quasque Ædes atque opera publica erexe-
rit, exhibet Monumentum Ancyranum de Vita & gestis Augusti,
quod

quod extat cum notis apud Casaubonum , quem Lapidem Ancy- *in Suet. p.*
ranum *insigne antiquitatis & historiæ Augustæ monumentum* vocat 338,339.
Lipsius. Sacris ædibus ponendis imprimis deditus, unde Ovidius: 2. *Admi-*
Templorum positor, templorum sancte refector; *rand.* 12.
Sit superis, opto, mutua cura tui. p.98.
Amplius ipse alios hortatus est & invitavit ad nobilitandam urbem, 2. *Fast.*
nam Suetonius : *Principes Viros sæpe hortatus est, ut pro facultate* v.63.
quisque monumentis vel novis , vel refectis & excultis urbem ador- c.29. p.
narent, multaque à multis extruxit, quorum dum recenset nomi- 92.
na & opera, concludit: *A M. vero Agrippa complura & egregia.*
Nominatim laudandus Agrippa , qui Urbem propriis sumtibus
exornavit, *Porticum Neptuni* extruit, *Pantheon* perfecit. Dio lib.
49.p.476. Ἀγορανόμος ὁ Ἀγρίππας ἑκὼν ἐγένετο, καὶ πάντα μὲν τὰ οἰκοδομήματα τὰ κοινὰ, πάσας δὲ τὰς ὁδοὺς ; μηδὲν ἐκ τοῦ δημοσίου λαβὼν, ἐπεσκεύασε. *Agrippa ultro Ædilis factus omnia ædificia publica, omnesque vias privatis impendiis refecit* , Idem lib.53.p,590. Ἀγρίππας τὸ ἄστυ τοῖς ἰδίοις τέλεσιν ἐπεκόσμησε. Τὴν τοῦ Ποσειδῶνος ὠνομασμένην ἐξῳκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις. Τό, τε Πάνθεον ἐξετέλεσε. *Vrbem propriis sumtibus exornavit;* Porticum Neptuni *propter victorias navales extruxit.* Pantheum *quoque perfecit.* Extructum insuper ab *Agrippa* ingens ædificium, sed ab Augusto publicatum, in quo pecunia militibus diribebatur ; id quod uno tecto maximè conspicuum, quumq; dirutum postea fuisset, ob magnitudinem restaurari nequivisse memorat Dio lib.55. p.633. Celebrat trabem
pedum centum, sesquipedali crassitudine, Plinius, quæ superfuerat. 16. 40.
Pantheon celebrat Plinius 34,4.p.472, & 36,15 p 506 ab Agrippa p.234.
extructum mirabili operâ, de quo videndus Lipsius. Idem Plinius: *Admir. c.*
Agrippa in Ædilitate sua ; adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis 6.p.150,
atque emendatis, lacus septingentos fecit ; præterea salientes centum 151.
quinque; castella centum triginta; complura etiam cultu magnifica. Operibus iis signa trecenta ærea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas, eaq; omnia annuo spatio; ubi exclamat Lip-
sius: *Hæc unus Agrippa, & uno anno. O virum Augusto Principe di-* *Admir. c.*
gnum ! O virum vel Principatu dignum & non credo benignius & 11.p.184.
publicè utilius ingenium , non item modestius & Principi aptius extitisse. Tales, tales sint vobis, ô magni Reges, Consiliarii & Ministri. Quæ

Agrippa in Ædilitate effecerit, refert Dio lib.49. p.476,477. Cloacam (ne fordeat lectio) ad sordes evehendas quomodo suffossis montibus, *operum omnium maximo*, effecerit tradit, Lipsius. *Admir.c.12.p.185.* Ob hanc industriam Agrippa inter eos, qui Urbi adornandæ omnem diligentiam impenderunt, recensetur Straboni. *lib.5.p.163.* Promtum etiam habebat Augustus Populum, ut *in restitutionem Palatinæ domus, incendio absumtæ, Veterani, Decuriæ, Tribus, atque etiam sigillatim e cætero genere hominum libentes ac pro facultate quisque pecunias contulerint.* *Suet.c.57.p.117.* Sedes imperii in Palatio, sive monte Palatino; & ab Augusti tempore Imperatores habitârunt eo in loco, unde *Palatii* (Pfaltz) nomen ad nos venit augusto sensu. De formâ & modo privatorum ædificiorum, atque de iis construendis, reficiendis, demoliendis, deque iis non diruendis aut transferendis extat Titulus Codicis *de Ædificiis*, gratè accipiendus & legendus. Inter opera Augusti laudabilia, quæ extra Urbem, *Portuum* extructio, *Lucrini* & *Pomtini*, de quo Scholiastes Horatii: *Divus Augustus duas res divinas fecit, ut* Pontinam paludem *exsiccaret, & ad mare meatum haberet, ut post & arari possit; deinde* portum Lucrinum *munivit.* *ad Art. Poet.p.561.* Antea scripserat: *Pomtinas paludes Augustus exsiccavit, & habitabiles reddidit, injecto aggere lapidum & terræ.* Portum exstruxisse Augustum in Lucrino Avernoque lacubus ostendit Cluverius. *4 Ital.antiq.2.p.1136.* Diversa ex diversis autoribus alii recensent, nosque nunc negligimus. De aliis quæramus, & memoremus nunc in Urbe *tres Ordines* celebres, *Senatorium, Equestrem, Plebejum*, in quibus honor Urbis magis quàm in pulchris structuris. Quicquid pulchri Urbs habebat, id in illo ternione constabat, qui Dioni recensetur, τὸ βουλεῦον, τὸ ἱππεῦον, καὶ ὁ ὅμιλος, *Ordo Senatorius, Equestris & Plebejus*; *lib.60.p.769.* deque tribus Ordinibus Romani statûs Statius: *4.Sylv.1.v.25.*

Moribus atque tuis gaudent Turmæque Tribusque
Purpureique Patres.

Summus Ordo post Imperatorem erat tum *Senatorius*, nihilque est, quod gravitati & moribus ejus non debeatur. Extollitur inde *Eques*, post hunc *Plebs*, & ex Urbe *Civium Ius* erat fortunatissimum. Nemo magis commendabilis quàm Civis Romanus; summumque beneficium *Ius Civitatis Romanæ*; secundo loco *Ius Italicorum*

corum sive Latinitatis; tertiò *Ius Provincialium populorum* censebatur. Urbium quasdam, *merita erga populum Rom. allegantes,* Latinitate *vel* Civitate *donavit,* notante Suetonio. Quid hoc est, *Latinitate donare?* Erat inter Romanos *Ius Latii,* quod differebat *à jure Civitatis,* originem habens ex fœdere, ceu ex societate, quam cum priscis Latinis pepigerant Latini, pacem enim cum victis fecerant iis conditionibus, notante Prevotio, *ut posthac* Latini *suis legibus & suo jure viverent, milites in bello darent, hostesque communes cum Romanis haberent, in bellis & expeditionibus tertiam prædæ partem acciperent, ipsique* socii & amici pop. Rom. *dicerentur.* Idem itaque est *Latinitate donare,* ac *Ius Latii dare.* Admodum placet labor Sigonii, quâ bonam eruditionem suam testatus fuit cum laude & gratia de Jure Civium Rom. de Jure Italiæ, de Jure Provinciarum. Breviter Casaubonus ad Suetonium p. 223, 224 agit, atque inter alia scribit: *Imperium Rom. triplici hominum genere Augusti temporibus constabat,* Civium, Italicorum Populorum *&* Provincialium. *Horum diversa longè erat conditio; alio enim jure utebantur* Cives, *alio* Itali, *alio, qui* in Provinciis *erant.* Civis Romanus *pleno jure is est, qui vel in Urbe vel in agro Rom. habitans, tribum cum honorum petitione, aut saltem suffragiis habet. Universa Italia ante Augustum Civitatis jus habuit.* Magnâ cautione Civium Romanorum jura observavit Augustus, longè tenacior Cæsare Patre, qui Legionem illam, quam ex Gallis conscripserat, omnesque Novocomenses simul ac semel civitate donaverat. Augustus verò civitatis Romanæ noluit vulgari honorem, eumque dabat parcissimè. Gallum hominē, rogante etiam Livia uxore, civitate donare noluit; tributorum tamen immunitate sublevavit, teste Suetonio. De libertate Populi quod certò scribamus, nescimus; adeò incertum erat, quorsum iturus esset ille, qui rerum tunc potiebatur. A minimis ad majora procedebat, curam etiam de juventute habens. Ad exornandam juventutem charitatis indicia præbuit, cùm enim à teneris assuescere quàm & in Republicâ sit proficuum, secum perpenderet, liberis Senatorum, *quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus* virilem togam, latum clavum *induere & Curiæ interesse permisit, militiamque auspicantibus non* Tribunatum *modo* Legionum, *sed &* Præfecturas Alarum *dedit, & ne quis expers castrorum*

c. 47. p. 110.

de Magist. Rom. p. 32.

Suet. Jul. c. 28. p. 20.

c. 40. p. 102.

ſtrorum eſſet,binos plerunque laticlavios præpoſuit ſingulis alis, docente Suetonio, quem in locum Caſauboni interpretatio conſulenda. Servari, augeri, propagari, reſtaurari Civium Romanorum familias illuſtres atque nobiles Reipublicæ intererat. Julius Cæſar lege Caſſiâ; & Auguſtus lege Serviâ, veterum Patritiorum intermortuorum loca novâ lectione ſuffecere. De Auguſto Dio p. 566. Τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήθυσε. *Patritiorum familias complevit.* De hiſce & aliis Familiis, quæ ſuas habent oblectationes, noſtrûm non eſt, ut jam agamus, cùm effuſo ſtudio Urſinus, Reuſnerus, Glandorpius id egerint. Quid verò magis commendabile fuerit quàm Magiſtratuum notitiam habere? Tumultuarium eſt, quod nunc de eo ſcribendum eſt, nec elaboratum. Magiſtratuum alii erant *Urbani*, alii *Provinciales.* Illi ratione *electionis*, vel *Majores*, quod majora haberent auſpicia, vel *Minores*, quod minora. Ratione *gubernationis* vel ordinarii, vel extraordinarii. Ordinarii Majores erant *Conſules*, quibus annuum imperium erat à Kal. Januariis auſpicandum. Extraordinarii Magiſtratus, & Majores fuerunt *Præfecti Urbi. Dictator* etiam & *Interrex* hiſce adnumerantur. Minores Magiſtratus ordinarii erant *Quæſtores urbani*, *Ædiles.* Extraordinarii, *Triumviri capitales.* Acceſſio deinde Magiſtratuum facta ſub Impp. varia, ubi maximè excelluit *Præfectus Pratorio*, cujus dignitas in tantum meruit augeri, ut appellari ab ipſo non poſſet. Provinciales Magiſtratus erant *Proconſules*, cum conſulari imperio; *Præſides*, qui cum eſſent Legati Cæſaris, alium à latere Legatum non habebant, prout habuiſſe Proconſules conſtat tot. tit. ff. de offic. proconſ. Julius firmato, quantum poterat, imperio Leges varias ferebat, Senatum ſupplebat, Patritios allegebat, Prætorum, Ædilium, Quæſtorum, minorum etiam Magiſtratuum numerum latè ampliabat, quod Dio Caſſius late docuit; creſcente enim Imperio cum regni amplitudine, officia & munia augebantur, & variabant. Inde Auguſtus non tantùm veteres Magiſtratus ſuâ autoritate reficiebat, ſed etiam, quò plures partem Reip. caperent, nova officia excogitavit. Pleroſque Magiſtratus ex voto arbitrioque ſuo Auguſtus deſignabat; populo Comitiorum ſpeciem relinquens; inde Dio: ὅ, τε δῆμος ἐς τὰς ἀρχαιρεσίας καὶ τὸ πλῆθος αὖ συνελέγετο. οὐ μέντοι καὶ ἐπράττετό τι ὃ μὴ καὶ ἐκείνῳ ἤρεσε. τοὺς γοῦν ἄρξοντας

c.38.p. 100.

lib.43.p. 256, 257, 269, 271.

Suet, c. 37.p.99.

53.p.585.

ξοντας τοὺς μὲν αὐτὸς, ἐκλεγόμενος προεβάλλετο, τοὺς δὲ καὶ ἐπὶ τῷ δήμῳ
τῷ τε ὁμίλῳ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ποιούμενος, ἐπεμελεῖτο ὅπως μήτ᾽ ἀνεπι-
τήδειοι, μήτ᾽ ἐκ παρακελεύσεως, ἢ καὶ δεκασμοῦ ἀποδεικνύωνται. *Habe-
bantur autem adhuc* comitia populi, *licet nihil ageretur in iis, quod
Augusto displicuisset. Magistratus autem partim* ipse *designabat, par-
tim* populo plebique *designandos permittebat, sicut libera republica
erat usitatum; id modo curans, ne indigni per factiones & ambitum
designarentur.* Reformavit veterem consuetudinem, quâ quotan-
nis populi suffragiis legebantur XXVI Viri, è quibus deinde con-
stituebantur Decemviri litibus judicandis, Triumviri monetales,
Triumviri capitales, Quatuorviri Curatores Viarum intra urbem
seu Vicuri, quatuor Præfecti, qui in Campaniam mittebantur, do-
cente Casaubono. Ea consuetudo partim servata, partim abolita, *ad Aug.*
de quo Dio lib.54.p.618. Sevocemus hoc schema, quo se cum li- *c.*38.*p.*
bertate populi Romani, cumque Senatus autoritate conjungere, 204.
verborum specie dicebat Augustus. Potestatis alicujus imago
mansit apud Senatum permissâ Senatoribus specie, translato ad se
imperio, neque enim erat, ut olim, Plebs valida, neque Patres pol-
lebant. Patres ipsi obtestabantur, ne Augustus relinqueret impe-
rium, omnia ipse ageret ex nutu; nam Dio ad A.V.735. refert, con- *lib.*54.*p.*
tendisse ab eo Senatores, *τὸ διορθοῦν πάντα καὶ νομοθετεῖν, ὅσα βούλοι-* 604.
το, ut emendaret omnia suo arbitrio, ac leges, quas vellet, ferret. An-
tea lib.53.p.594 retulit legibus solutum fuisse à Senatu, ut agere aut
non agere omnia, *ὅσα βούλοιτο*, posset. Senatûs autoritatem deterere
studebat Julius Cæsar, idque cum impetu, quo ipso odium suppe-
ditavit & stimulum addidit ad consilia necis. Cautior Augustus
Senatum demereri poterat, potestatis aliquam speciem indulgens.
Multa de Agrippa, Nepote suo, in Senatu querebatur, & abs eo
postulabat, ut Senatusconsulto exilium ejus in Insulam Planasiam
confirmaretur. Tacitus 1.Ann.6.3: *Multa sine dubio sævaque Au-
gustus de moribus adolescentis questus, ut exsilium ejus* Senatuscon-
sulto *sanciretur, perfecerat.* Suetonius c.65.p.123: *Cavit* Senatus-
consulto, *ut eodem loci in perpetuum contineretur.* Id simulator et-
iam Tiberius aliquoties studuerat, nam Agrippa interemto, malis
suis & Liviæ artibus, dicebat Centurioni, qui jussu Tribuni cæ- *Tacit.* 1.
dem perfecerat, *rationem facti reddendam apud Senatum.* De Au- *Ann.*6.5.

lib.56.p. 686. gusti in Senatum & Populum temperatâ regnandi arte Dio egregiè: Τὴν μοναρχίαν τῇ δημοκρατίᾳ μίξας, τό, τε ἐλεύθερον σφίσιν ἐτήρησε, καὶ τὸ κόσμιον τό, τε ἀσφαλὲς προσπαρεσκεύασεν, ὥστ᾽ ἔξω μὲν τοῦ δημοκρατικοῦ θράσους, ἔξω δὲ καὶ τῶν τυραννικῶν ὕβρεων ὄντας, ἔν τε ἐλευθερίᾳ σώφρονι καὶ ἐν μοναρχίᾳ ἀδεεῖ ζῆν, βασιλευομένους τε ἄνευ δουλείας, καὶ δημοκρατουμένους ἄνευ διχοστασίας. *Monarchiam populari imperio ita temperavit, ut & libertatē Romanis suam servaverit, & ornatum securitatemque addiderit, ut absque Populi contumacia, absque tyrannorum insolentia, in modesta libertate, & sub unius innoxia potestate, in regno sine servitute, & in populari statu sine seditionibus vixerint.* Testis benevolentiæ Augusti erga Senatum Tiberius in Oratione funebri apud Dionem: *lib.56.p. 684.* Τίς οὐκ ἂν τῶν βουλευτῶν αὐτοῦ μνημονεύσειεν; ὧν τὸ φαῦλον τὸ ἐκ τῶν στάσεων ἐπιπολάζον ἀλύπως ἀφελών, τὸ λοιπὸν αὐτῷ τε τούτῳ ἐσέμνυνε, καὶ τῇ αὐξήσει τοῦ τιμήματος ἐμεγάλυνε, τῇ δὲ δόσει τῶν χρημάτων ἐπλούτισεν. οἷς ἐξ ἴσου καὶ αὐτὸς τὴν γνώμην ἐδίδου, καὶ μεθ᾽ ὧν συμμεθίστατο. *Quis Senator ejus memoriam non servet? ex quorum ordine dum indignum quemque, quum per seditiones quidam se ingesserant, removisset, reliquos decoravit, splendorem aucto censu evexit, largitione pecuniæ locupletavit, in dicendis sententiis sibi æquavit, & Collegas suos habuit.* Augusti officia erant in Senatum & Plebem, sicque sine factionibus incrementum potestas sumsit, introducto sensim imperio alio, sine dissidiis & discessionibus, quæ aliâs contigerat inter Patres & Populum. *1.A.2.2.* *Insurrexit paulatim Augustus, munia Senatus, Magistratuum, Legum in se traxit,* ad quæ Taciti verba videatur Cyr. Lentulus in Aug. p.144 seqq. Post Augustum *penitus in servitutem ivêre Romani, dum civibus jus suffragiorum ademtum, Patribus autoritas minuta, illique verè togata mancipia evaserunt ad nutum & libidinem Principum se totos componentes,* Loccenio scribente. *4 de Per. 23.p.539.* Affectum non mutavit Augustus; Tiberius diversum assumsit, Senatusque magno malo didicit. Minuit Senatûs potestatem *Augustus*; dejecit Tiberius, licet simularet officia. Egentem adjuvit Augustus, deseruit Tiberius. Titulus vix Senatui relictus. Quanta verò fuerit Senatûs Romani vetus libertas atque consuetudo intra Reipublicæ tempora, cum liberis Civibus libera, de loco & tempore habendi Senatûs, de dicendi sententiâ, de jure referendi, de origine rogandi sententias, de Senatus-consul-

consultis, tradere aggressus fuit Paulus Manutius, Vir inter primos de Antiquitate Romanâ bene meritus, singulari libro, Coloniæ ante multos annos recuso. Senatores *centum* lecti primùm à Romulo, ad trecentos inde aucti, usque ad C. Gracchum & Livium Drusum, qui in Tribunatu suo *ad sexcentos* redegêre; Julius deinde ex quolibet ordine *ad mille Senatores* constituit, & quidem, censente Macrobio, *supra fas*; nec sine joco Ciceronis, qui in Laberium, sedile in ludis quærentem, dixerat: *Recepissem te, nisi angustè sederem*, cui Laberius non sine aceto: *Mirum, si angustè sedes, qui soles duabus sellis sedere*, exprobrans levitatem animi. Plebejis indignisque sub Cæsare civilibusque bellis in Senatum cooptatis correxit Augustus, & *sexcentos* recensuit, memorante Dione lib. 52 p. 565, & lib. 54 p. 606, ubi, ait: Τὸ βουλευτικὸν ἐξήτασε, καὶ βουλευτὰς ἑξακοσίους κατελέξατο. *Senatorum delectum instituit, sexcentosq; Senatores collegit*. Examen prolixius describit, sed brevitati nobis studendum. Senatum Augustus meritò reformat, ἐπειδή τινες οὐκ ἐπιτήδειοι διὰ τὰς στάσεις βεβουλεύκασι, *postquam multi in Senatum per seditiones parum idonei essent asciti*. Porrò Dio l. 55. p. 629. Ὁ Αὔγουστος τὰς τῆς γερουσίας ἕδρας ἐν ῥηταῖς ἡμέραις γίγνεσθαι ἐκέλευσεν, ἐπειδὰν γὰρ οὐδὲν πρότερον ἀκριβῶς περὶ αὐτῶν ἐτέτακτο, καὶ τινὲς διὰ τοῦτο πολλάκις ὑστέριζον, βουλὰς κατὰ μῆνα κυρίας ἀπέδειξεν, ὥστε ἐς αὐτὰς ἐπάναγκες, οὕς γε καὶ ὁ νόμος ἐκάλει, συμφοιτᾶν. *Edixit Augustus, ut Senatus certis ageretur diebus, de quibus quum antehac nihil esset definitum, eâque causâ multi Senatorum abessent, constituit, ut singulis mensibus certi dies haberentur, quibus necessariò omnes, quos leges in Senatum venire jubent, convenirent*. Multa instituit, auxit, correxit, exornavit, interpolavit Augustus. Multa Suetonius c. 36. p. 99: *Augustus auctor & aliarum rerum fuit, in quis, ne* acta Senatûs *publicarentur; ne* Magistratus *disposito honore statim in provincias mitterentur; ut* Proconsulibus, *ad mulos & tabernacula, quæ publicè locari solebant, certa præmia constituerentur; ut* cura Ærarii *à Quæstoribus urbanis ad Prætorios Prætoresve transiret; ut centumviralem hastam, quam quæsturâ functi solebant cogere*, Decemviri *cogerent. Quoque plures partem administrandæ Reip. caperent*, nova officia *excogitavit, curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi, Præfecturâ Urbis, Triumvira-*

2. Sat. 3. p. 395.

Dio lib. 52. p. 545.

viratum legendi Senatûs, & alterum recognoscendi turmas Equitum. Multa reformavit, atque inter ea negotia, *ut* Proconsulibus *ad mulos & tabernacula, quæ publicè locari solebant, certa pecunia constitueretur.* Anne solis illis? Ampliat Lipsius ad Præsides, Procurato-
2. *Adm.* res aliaque officia; indeque Casaubonus: *Ea veteris Reipublicæ*
10. *p.* 78. *consuetudo non circa Rectores tantùm Provinciarum, ab Augusto*
in Suet. p. *sublata est, sed reliquos quoque Magistratus urbicos, quibus de publico*
199. *data merces annua & cibaria.* Leges Provinciarum administrato-
Dio lib. ribus datæ, μήτε καταλόγους σφᾶς ποιεῖσθαι, μήτ᾽ ἀργύριον ἔξω τοῦ τε-
53. *p.* 580. ταγμένου ἐσπράσσειν, εἰ μὴ εἴ τι ἡ Βουλὴ ψηφίσαιτο, ἢ ὁ αὐτοκράτωρ κελεύσειεν, *ne quem delectum militum agerent; ne pecuniam præter eam, quæ constituta erat, exigerent Senatus Imperatorisque injussu.* Impen-
Suet. d. l. dia ne fierent cum onere à Provinciali Magistratu, auctor fuit. *Decreto ejusdem* Senatusconsulta Quæstoribus urbanis asservanda tradebantur, quod antea munus erat penes Ædiles & Tribunos. Decreto ejusdem cura ærarii à Quæstoribus urbanis ad Prætorios Prætoresve transiit. Decreto ejusdem *Collegia nova omnia* abolebantur, imitatione Julii, de quo Suetonius: *Cuncta Collegia,*
c. 42. *p.* *præter antiquitus constituta, detraxit.* Suspecta merito illa Collegia,
32. cœtus & concilia, quippe factionum nutriculæ. De Augusto Dio lib. 54. p. 597: Τῶν συσσιτίων τὰ μὲν παντελῶς κατέλυσε, τὰ δὲ πρὸς τὸ σωφρονέστερον συνέστειλε. *Collegiorum alia prorsus sustulit, alia correxit.* Suetonius c. 32. p. 96: *Collegia, præter antiqua & legitima, dissolvit.* Bene reformavit multa Augustus, in quibus oblivisci non possumus ejus, quod congruum æstimabat unũ versari in uno tantum officio, tum quod unus ad plura bene regenda vix sufficiat, tum ut unus in uno bene versatus optimè administrare munus queat. Ea de causâ *plures* ad Remp. admovendos esse censebat, ne plura officia uni eidemque committerentur, notante Suetonio,
c. 37. *p.* *quòque* plures *partem administrandæ Reipublicæ caperent, nova of-*
99. *ficia excogitavit.* Notum est dicterium Atheniensium de Metio-
Plut. de cho: *Metiochus exercitum ducit.* Metiochus *vias curat.* Metiochus
ger. Rep. *cunctis aliis præest.* Non Metiochum ferre voluit Augustus, qui plurium vices & honores occuparet, nec deferre uni, quod plures vix possunt. Per compendia volunt agere interdum in Aulis Principes, & dispendia hinc enascuntur, dum in Uno officia negligun-

tur

tur, mala & incommoda plurima introducuntur. Omnia sic fiunt & tamen Nihil; præsertim à tetrico Metiocho. In officiis constituendis Mecœnas porrò hoc dederat consilium, ut Magistratus daretur *quinquennio* ad minimum, teste Dione, videbat enim in- *lib.52.p.*
commodè fieri, si officia citò mutentur, cùm, qui præsunt, prius *549.*
coguntur decedere, quàm ejus, quod didicerant, specimen dare possent; sicque rei bene gerendæ occasiones solent intercidere. Insinuatæ mutationes variæ vario modo, quæ plures sunt, quàm ut nunc tenere queamus. Alterius loci & temporis sit inquisitio. Tantum dicimus tandem, quod Suetonius habet: *Censores creari desitos longo intervallo creavit;* numerum Prætorum *auxit*. De Cen- *c.37.p.*
soribus alibi agimus; de Prætorum numero tribus verbis. Veteri *100.*
constitutione *Prætor unicus* erat, qui non tam Civium quàm Peregrinorum causas, uti ante Prætorem Consules, juxta jura ipsorum diversa cognoscebat aut Judices dabat. *Deinde* cùm *bini Prætores* crearentur sub annum ab V.C.DX, alter eorum dictus est *Peregrinus*, qui Peregrinorum causas seorsim cognoscebat, alter *Urbanus;* *l.2.§.29.*
non n. sufficiente Prætore Urbano, (sunt verba Pomponii) *quod* *D.tit. de*
multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus est, & *Orig. Iu-*
alius Prætor, qui Peregrinus *appellatus est ab eo, quod plerunque inter* *ris.*
Peregrinos jus dicebat. Ordinavit alio modo Augustus, decemque Prætores constituit, teste Dione. Prætorum dignitate relictâ de- *lib.53.p.*
mum progredimur per Prætorium ad *Leges* & *Iudicia*, quæ sunt in- *593.*
strumentum & organum gubernandi in Regno; anima & spiritus, unde orbis regitur, temperatur & animatur. Magna & illustria sunt ornamenta Regnorum & Rerumpublicarum, copia rerum necessariarum ad sustinendam vitam, opes in ærario & fisco, facultates in domibus, arma in armamentariis, apparatus rerum. Majora verò sunt & illustriora decora, *Leges, Disciplinæ, Iudicia*, *Iudices sapientes & providi*, fortes Viri in justitiæ defensione. Hæc meritò Plato nominat ψυχὴν τῆς πόλεως, *Animam Civitatis*, significans arma & opes, fundos & arces, domos & palatia, sine politiâ esse velut corpus sine animâ. Optimè id Plato sensit, plusquam civilem Philosophum agens, scivit enim Civitatem non esse congeriem lapidum, munitiones aggerum, coagmentationem & splendorem ædium, opum armorumque ostentationem, rerumque omnium

ad victum cultumque corporis abundantiam; sed cœtum hominum *honestis legibus* consociatum, in quo disciplina retinetur per Magistratus certos *juxta Leges ac Iudicia*, quibus pax & disciplina externa constituatur. Optimum hunc & pulcherrimum finem & scopum sibi præstitutum habuit in Româ ornandâ Romanoque imperio stabiliendo Augustus, Imperator legibus & armis decoratissimus, juxta procem. Inst. Non est possibile ullam Societatem sine legibus constare posse; Leges verò pro usu rerum, locorũ temporumve mutationibus, alio alioq; modo, mutationẽ subire solent. Magna erat habenda gratia Augusto qui Leges juraque, sive ad pacem, sive ad bellum, ordinavit, composuit, reformavit. Reipublicæ Romanæ clarus & sapiens gubernator Scipio censuerat non felicem esse Remp. stantibus quidem mœniis; dilabentibus autem moribus. Judicavit idem Augustus, & experientiâ magistrâ novit,

Plaut. ut apud Comicum Persa de Athenarum urbe dicit: *Oppidum, si in-*

Pers. act. *colæ benè morati sunt, pulcrè munitum esse.* Ut igitur tutior esset ci-

4. sc. 4. vitas Roma Regnumque firmius, *Iudiciis & Legibus*, tanquam

v. 6. majoribus muris instruxit. Inde laudat illam per Leges munitio-

6, 22. p. nem Orosius: *Remp. quam bello quæsiverat, pace enutrire atque am-*

543. *plificare studens* Leges plurimas *statuit*, *per quas humanum genus*

2. 89. p. *liberâ reverentiâ disciplinæ morem gereret.* Et Vellejus: *Restituta*

79. *vis legibus, Iudiciis autoritas. Leges emendatæ utiliter, latæ salubriter.* Quàm necessarium esset in Regnorum constitutione ut initio condantur Leges æquæ, sancitæ semelque admissæ sanctè conser-

2. Epist. 1. ventur & defendantur, nullus Heroum melius novit quàm Au-

v. 1. gustus. Occurrit hîc Horatii ad Augustum Epistolæ initium:

Cùm tot sustineas & tanta negotia solus,
Res Italas armis *tuteris*, moribus *ornes*,
Legibus *emendes*, *& tanta negotia cures.*

c. 27. p. Id explicabis ex Suetonio; *Recepit* & morum legumque regimen,

90. *æquè perpetuum, quo jure, quanquam sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum Collega, medium solus.* Item cap. 34. p. 97: *Leges retractavit, & quasdam ex integro sanxit, ut sumtuariam, & de adulteriis, & de pudicitiâ, de ambitu, de maritandis ordinibus.* Datur hinc occasio ad laudandum Manilio, for-

te cælesti datum mundo *Augustum*, dum *augustis legibus* in novam velut formam Romanum orbem redegerit: *lib.1. Astron. v.7.*

> *Nunc mihi tu Cæsar Patria Princepsque Paterque,*
> *Qui regis augustis parentem legibus orbem*
> *Concessumque* Patri *mundum Deus ipse mereris.*

Varia sors Legum fuit, ad quas ferendas se accingunt Romani orbis primùm *Reges*, inde *Consules*; pòst *Imperatores*, quorum unus Augustus ornaméta omniũ primus concumulavit; Romanæ quippe Leges aut *à Regibus* latæ sunt; aut *à Magistratu* datæ, quẽ Regibus sublatis alium atque alium pro diversitate fortunæ Civitas habuit; aut sunt concessæ *ab Imperatoribus*, quas Libertate, quam vocant, sublatâ Augustus invexerat omnium præcipuus. Quid Legibus sanxerit *A*ugustus ad Urbis totiusque Imperii negotia regenda, pro Rostris potius quàm Cathedris Academicis proponendum videtur. Non tam diligenter exaratæ quàm latæ sunt Leges Augusti, aut si sunt copiosè scriptæ, earum certè plurimæ injuriâ temporum sunt deperditæ. *A*ugustus ἐνομοθέτησε πολλὰ, *multas Leges condidit*, ait Dio; sed non addidit, brevitati studens, quasnam ediderit. *lib.53.p. 585.* Rem fecisset se dignam, si, ut in aliis, hic non defuisset. Maximè ab A.715 Nomotheticæ & ordinandæ per bonas leges Reip. operam dedit, notante Mag. Dn. D. Tabore, qui exhibere omnia posset. *de Quæstion. cap. 4. p. 22.* De Legibus solicitus Augustus, non tam ei sua salus curæ fuit, quàm regni, ut *per Leges* firmetur. Mutata fuerat forma Reipublicæ, & in commutatione, quâ in alium statum fuerat ventum, Leges tulit, ut bene esset Monarchiæ. Qui de Legibus hisce agunt, excubasse pro salute Regni *Regiâ Lege*, quam vocant, Augustum tradunt. Quorsum tendat ille apparatus, nondum explorare possumus, cùm non nesciamus tecti admodum & taciti consilii fuisse Augustum de Monarchiâ inducendâ, operaque ejus antè visa quàm audita fuisse. Celavit hîc consilia sua, celavit leges; suam Consulibus, suam Prætoribus speciem reliquit, nedum ut *Legem Regiam* tulerit tam apertè. Ignari sumus hujus Legis, quia tacent historiæ, nec unde aliquid certò sciamus, satis intelligimus, nec addere quicquam hic possumus; adeò sumus pauperes. Legis quidem Regiæ in Codice fit mentio, l.1.§.7.lib.1.tit.17.C.de V.I.E. & §.6.Inst. d.jur. Natur. dicuntque per hanc Legem potestatem

ple-

pleniſſimumque rerum arbitrium ad Imperatorem fuiſſe delatum. Non tantum, quantum profertur, exhibetur. Hoc unum velim exiſtimetur, apud Hiſtoricos hujus Legis Regiæ nullam fieri mentionem, nec ullibi eſt legere, publicè eſſe latam Legem; quæ ſi lata fuiſſet, certè Tacitus, Suetonius, Dio & alii eam non præteriiſſent; unde Lentulus ſcribit: *Auguſtum Lege Regiâ ſupra omnes legitimè evectum plerique Iureconſultorum contendunt. Legis Regiæ Patroni ſi abrogatâ Hiſtoricis autoritate ad neſcio cujus Lapidis rudera, Principum ſecreta archiva, ICtorum multitudinem confugerint, inaniori opera inanem laterem lavabunt; nam nec Limnæi vel fidei vel judicio in antiquitatis palæſtra nimium tribuo, & ICti ad cauſam vocati pro ſe contra antiquitatem hiſtoriæ teſtes, aut judices, minus idonei ſunt habendi. Omnes autem hiſtoriarum ſcriptores oſcitantiæ vel ignorantiæ arguere velle, aut ineptiarum eſt, aut argutiarum, & vafritici nimiæ.* Munus certè Regium eſſet, ſi *Lex Regia*, quam ſic ſtudioſè amplectuntur Reges, exhiberetur; quamvis non deſint adjutores in eâ conquirendâ & ſervandâ. Tam erit acceptũ, quàm rarum munus, eoque dignum magis, ut Regibus mittatur. Præ oculis verò habetur plenum dignitatis & gravitatis, & de novo quaſi confirmatum, Monimentum ipſius Legis Regiæ, quod hodienum Romæ in Capitolio monſtratur, translatum eò à S. P. Q. R. ex Templo S. Joannis in Laterano, quod eſt in monte Cœlio, Gregorii XIII. Pontificis auctoritate, ac in priſtinum ſuum locum repoſitum, cujus verba non marmoreis lapidibus, ut quidam aſſeruerunt, ſed æneæ tabulæ inciſa hodierno adhuc extant tempore, ex quâ tam mira tabulâ mirum in modum reſtituere contendunt & reintegrare deperditam quodammodo Regiam gravitatem & majeſtatem, quam nunc celebrant majoribus laudibus, excelſoq; in opere Inſc. Gruterus pag. 242 locavit dudum. Verendum, ne arrogantiæ quis argui poſſit, quaſi vellet plus ſapere, qui junior ætate & dignitate ſit Gruteris & Pichenis. Qui judicat certò, ex evidentibus judicat. Indicari itaque deſiderabis Leges, de quibus conſtet Auguſtum eſſe autorem, & ſubmittimus nunc oculis aliquot Leges, in quibus Auguſtus certò ſpectatur. Inter clamoſa fori jurgia ſæpe vox audiebatur de nimiâ conſuetudine adulterii, nec intermittebant *Iulius* & *Auguſtus*, quamvis ipſi non otiarentur,

Aul. Tib. p. 242, 255.

Leges

Leges *de Adulteriis coercendis* terre, ſancientes ſimul, ut in adulterii
quæſtione Servi in caput Dominorum torquerentur, l.8.lib.48.
tit.18.ff.de Quæſt. exceptâ quæſtione ſtupri, ubi ſervi adverſus
Dominos tormentis interrogari non poterant, ut diſtinctè tradit
Papinianus in lege 17 D.de quæſtionibus, & ex eo Valeſius con- *in Mar-*
tra Lindebrogium. Suſpenſo animo ſunt Icti, venientes ad Legem, *cell.lib.*
ἀξίωσις, falli que judicio Balduinum & Cujacium, qui Legem, 28.*p*.356.
Ἀξίωσις, Auguſto tribuant Jacobus Gothofredns ſentit. Factum *Comm.*
eſt autem hujus egregii Viri diligentiâ, ut quædam Leges & Con- *p*.32.
ſtitutiones per hiſtoriæ ſubſidium clariores appareant. Non eſt
noſtrûm inter tantos nos Viros, quorum acre judicium menſque
promta, ingerere. Tutiorem locum quærimus, viſuri, quis Autor
ſit Legis Juliæ *de maritandis Ordinibus*, quam ab Auguſto *Iuliam*
dixêre, quia adoptatus à Julio Cæſare etiam *Iulius* vocari voluit.
Julia Lex dicta, ut *Iulius portus* Suetonio, qui Virgilio *Iulia unda*, *c*.16.*p*.
non à Julio Cæſare, Servii errore, ſed ab Auguſto, à Cæſare in Ju- 77.
liam familiam adoptato, cujus auſpiciis cum Agrippa confecerat. *Æn*.9.
Ita *Lex Iulia*, cujus legis ferendæ cauſa, vel ob matrimonia eo tem- *v*.710.
pore minus frequentata; vel ad compeſcenda adulteria & libidines
præpoſteras, de quibus Horatius: *Fœcunda culpæ ſecula nuptias* 3.*Od*.6.
primùm inquinavêre, & genus, & domos, quo fonte derivata clades *v*.17.
in patriam populumque fluxit. Decreti hujus *ſuper jugandis fœmi-*
nis, legiſque maritæ feracis ad prolem novam, mentionem facit idem
Poeta Carm.ſecul.v.18; ea enim Lex tunc ab Auguſto lata jam
fuerat; nondum verò lata *Papia Poppæa*, ſic dicta à M. Papio Mu-
tillo & Q. Poppæo, de quâ malè intellexerat Lambinus. Lex illa
Papia Poppæa ut ærarium inde habitius eſſet, erat commoda, ejus
enim vi bona cælibum mortuorum caduca fiebant. *D*ilertè Taci-
tus: *Relatum deinde eſt de moderandâ Papiâ Popæa, quam ſenior Au-* 3.*A*.25.1.
guſtus poſt Iulias rogationes incitandis Cælibum pænis & augendo æ-
rario *ſanxerat.* Multa deinde addita, detracta, emendata, neque
tamen ætatem tulêre, nam Juſtinianus non hanc tantùm legem,
ſed omnia *de Caducis* decreta, unde Fiſco lucrum, peculiari Con-
ſtitutione ſimul ſuſtulit, l.unic.C.de Caduc.toll.lib.6.tit.50. Di-
gna quidem erat Lex, quam Auguſtus urgeret, ſed *præ tu-*
multu recuſantium perferre non potuit, niſi ademtâ *demum lenitave*

parte pœnarum, & vacatione triennii datâ, auctisque præmiis, nar-
c.34.p. rante Suetonio; quam enim hæc cura exercuerit Augustum, docet
97. ibi Torrentius. Metuit hanc legem lascivus Poeta Propertius,
pag.130. ajens se & Cynthiam, amicam, lætatos fuisse propter abrogatam
legem. Amaverat ille Cynthiam, quantum amari maximè poterat,
sed noluit uxorem ducere. Distichon ejus affert & hinc explanat
2.Var.25. Lipsius:
p.57. *Vxor me nunquam, nunquam me ducet amica;*
Semper amica mihi, semper & uxor eris.

De *Iudicibus* & *Iudiciis* nunc pauca. Judicum curam habuit quàm
maximam Augustus, in his opportunum esse medium servandi per
4 Polit. justitiam regni sciens. Optimè tertiam Reipublicæ partem *collocat*
14.p.432. *in Iudicibus* Aristoteles, qui tres cōstituit Reipublicæ partes τὸ βου-
λευόμενον περὶ τῶν κοινῶν, *Senatum, de Republica consultantem*; τὸ περὶ
τὰς ἀρχάς, quæ in *Magistratibus* & *Imperiis* cernitur; τὸ δικάζον, quæ
judicat sive *in Iudiciis* consistit. Circa tres has partes Augustus va-
riè occupatus fuit; gloriamq; auget Tribunalis forique, quod Ipse
Cæsar *Ius* dixit non diligentia modò summâ, sed & *lenitate*, unde
c.33.p.96. Suetonius: *Ipse jus dixit assiduè, & in noctem nonnunquam, si pa-
rum valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans*;
ubi Casaubonus p.190: *Duravit hic mos admodum laudabilis Ro-
mæ per multa secula, ut Imperatores non solùm in Curia Senatorum
cognitionibus interessent, verùm etiam in foro Prætorum judiciis in-
tervenirent*. Laudabilem hunc morem deducit Gutherius capite
cap.20. integro *de Cognitionibus Principum* libri nobilis de Officiis Do-
lib.1.p. mûs Augustæ. Judicum numerum auxit, & tempora judiciorum
69.seqq. amplificavit; omnem Judicum numerum *ad quatuor decurias* redi-
c.32.p. gens, autore Suetonio. Romæ Judices *in Decurias* fuere divisi.
96. Ante Augustum *tres* erant Judicum *Decuriæ*, quibus *quartam* ad-
didit; Quintam Caligula addidit, Suet. c.16.p.234, Galba verò sex-
Suet. c. tam dare noluit petentibus. *Classes & Ordines Iudicum* etiam
14.p.381. dicebantur. Decuria à numero decem hominum propriè vocata
vi nominis; sed & vox usurpata de numero ampliori. Meditans de
loco majori ad necessitatem Judicum in Martis æde *Publica judi-*
c.29.p. *cia* constituit, Judicesque per sortitionem eligebantur, teste Sue-
92. tonio; erant autem Judicia Repetundarum, Ambitus, Majestatis, &

cætera, quæ lib. 1. Digest. de publicis Judiciis recensentur. Quic-
quid operæ & laboris in eo instituendo insumi poterat, non præ-
teriit, eique summæ juris dicundi potestati, in Palatio suo munien-
dæ, & confirmandæ justitiæ gratiâ, *Prætorium* sive *Consistorium*
excitavit, in quo tum Civibus, tum Peregrinis jus ipse redderet. De
loco Dio: Καλεῖται τὰ Βασίλεια Παλάτιον, οὐχ ὅτι καὶ ἔδοξε ποτὲ οὕτως *lib. 53. p.*
αὐτὰ ὀνομάζεσθαι, ἀλλ' ὅτι ἔν τε τῷ παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει, καὶ ἐκεῖ τὸ 581.
στρατήγιον εἶχε. *Imperatoris ædes* Palatium *nominantur, non quod ita
aliquando hoc decretum sit nomen, sed quod in Palatio Cæsar habita-
bat, ibique* Prætorium *ejus erat.* Specimina varia edidit judicio-
rum, sed quæ minuenda esse putaverat Mecænas, qui capitali-
bus judiciis interesse noluit Augustum, quum enim aliquando pro
tribunali sederet, ut multos morte damnaret, *Carnifex* dictus fue-
rat, scribente tunc Mecænate in tabella: Ἀνάστηθι ἤδη ποτὲ δήμιε. *Dio lib.*
Surge tandem carnifex. Quis non moveretur austerâ voce? Suasor 55. *p.* 581.
autẽ diro verbo fuit, ut hæc judicia sanguinis per alios expediren-
tur, quod ea non conveniant dignitati Regiæ. In sententiis dicen-
dis, quem ordinem aliâs Senatus observabat, Augustus mutavit, in-
stituto more *sententias prærogandi*, quo verbo utitur Suetonius, &
quidem nullo ordine observato, ut ultimus tam esset attentus &
paratus quàm primus, & ne prima vel secunda vinceret sententia,
sed melior. Sic enim habet Historicus: *Sententias de majore negotio,* *c. 35. p.*
non more atque ordine, sed prout libuisset, prærogabat; ut perinde 99.
*quisque animum intenderet, ac si censendum magis quàm assentien-
dum esset.* Eo tendunt illa Senecæ de Augusto: *Auditâ causa ex-* 1. *Clem.*
cussisque omnibus, & his quæ adolescens pro se dixerat, & his quibus 15. *p.* 475.
*arguebatur, petit, ut sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium
fieret, quæ Cæsaris fuisset.* Sic sæpe fieri solet, ut, quod Consiliorum
supremus dicat pro autoritate, cæteri adsentiant & admittant vel
metu, vel favore. Sejanica hæc sunt consilia & Plautiana, ubi non
melior sententia Senatorum auditur, sed quod vel Princeps per
Sejanum suum imperat, vel Sejanus per Principem suum imperat. *Tacit.* 3.
Inde bene factum à Tiberio, *eximente* Drusum Consulem, *desi-* *Ann.* 22.
gnatum dicendæ primo loco sententiæ, quod alii civile rebantur, ne cæ- 6.
teris adsentiendi necessitas *fieret.* Est hujus loci egregia comme- *c. 76. p.*
moratio in Panegyri Plinii: *Consulti omnes atque dinumerati sumus,* 66.

vicitque sententia non prima, sed melior. At quis antea *loqui, quis hiscere audebat præter miseros illos, qui primi interrogabantur? Cæteri quidem defixi & attoniti ipsam illam mutam ac sedentariam* adsentiendi necessitatem *cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur? Unus solusque censebat, quod sequerentur omnes, & omnes improbarent, in primis ipse, qui censuerat.* Post Augustum Jus nimis controversum factum videtur, latiusque evagatum, ut nullis certis finibus contineretur, eoque progressa res, ut multa involuta, multa argutiis impedita fuerint; quibus rebus forsitan motus Caligula dixit se effecturum, ne quid Jureconsulti responderent præter æquum & bonum. Sed Caligulæ opera flagello digna est; gloria autem Legum & Judiciorum non major fuit quàm sub Augusto. Conservandi sunt Augusti tales & colendi, apud quos *Salus subditorum* est *Lex suprema*, quorumque imperium nil aliud est quàm cura salutis alienæ. Ipse Augustus, Paulo referente, *salutem Reipublicæ tueri nulli magis credidit convenire, neque alium sufficere ei rei quàm Cæsarem.* Cui illud consonum Hadriani Imp. à Spartiano relatum, se sic gesturum Principatum, ut sciretur, rem populi esse, non suam. Ut tandem finiamus, Augustus imperio magnus, exemplo major, καὶ τύχῃ καὶ ἀρετῇ, *virtute & fortunâ,* maximus.

l.3. lib.1. tit.15. D. de off. præfect. Vigil.

16. Doctissimus Imperator magno in literas amore ac studio rem literariam egregiè juvit, non tam literarum ac disciplinarum parens, quàm Literatorum omnium, maximè *Virgilii & Horatii*, Patronus beneficiorum magnitudine maximus.

Augustus inter optimos nobilissimus, inter nobilissimos optimus, inter utrosque doctissimus. Non fuit post Alexandrum Magnum & Ptolemæum Philadelphum major heros ac Princeps, qui majori studio literarum studia coluit, ac suo exemplo alios ad diligentem curam invitavit, quàm Augustus, quo an doctior fuerit, in dubio est. Singularis is benevolentiâ morumque humanitate inge-

ingeniosos & eloquentes Viros, sive Poetas & Oratores, sive Phi-
losophos & Jureconsultos, publicè & privatim, complectebatur,
omnesque literatos homines, virtute & ingenio inclytos, liberali-
ter fovit, ipse omnium Imperatorum literatissimus. Hanc certè
summam juvandi studia voluntatem, nec minimam cum volunta-
te facultatem, Deus immisit Augusto, & ad eam etiam cupiditatem
impulit. *Ingenia sui seculi*, scribit Suetonius, *omnibus modis fovit.* c. 89. p.
Recitantes & benignè & patienter audivit, nec tantùm carmina & 143.
historias, sed & Orationes & Dialogos. Componi tamen aliquid de se,
nisi & seriò & à præstantissimis, offendebatur. Quid aliud eum insti-
gare putas, ut toties doctos Viros invitaverit, nisi sublimior scien-
tiæ & cognitionis amor? *Tantus est innatus*, Cicero ait, *in omnibus* 5. de fin. n.
cognitionis amor & scientia, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res 48.
hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Illa cùpido
fuit Augusto conversandi cum doctis viris ex sciēdi desiderio tan-
ta, quanta vix Regi Antigono Gonatæ, toties ad Zenonem Ci-
tiéum, Stoicorum Principem primumque Autorem, visendum ac
audiendum Athenas abeunti, adque se evocanti præmiis. Singu-
laria sunt hæc dona Magnatum, quibus aliâs multæ objiciuntur re-
moræ, ut quod naturâ duce quibusvis hominibus inesse dicitur de- 1. *Met.* 1.
siderium, omnium Philosophorum Principis etiam voce, rariùs
eliciatur appetitus. Majori æstimatione Augustum admirandum
fecit, quod præter cætera optima studia inter præcipuos Poetas &
Oratores ita versatus fuerit, ut palmam etiam ambiguam fecerit,
mirus artifex dicendi & scribendi; nec aliud dolendum magis quàm
quòd Augusti labores & lucubrationes, scripta & sermones, nobis
nemo conservarit. Vix æquo animo possumus perferre eam ja-
cturam, nec sunt nobis relinquenda, licet non satisfaciant, frag-
menta, quæ collegit, disposuit & notis illustravit Janus Rutgersius
2. Var. Lect. 19. p. 135 &c. & quidem fuere ex iis Epistolæ p. 136;
Codicilli p. 149, Edicta 150, 151; Rescripta Bruto de Catone p. 152;
Hortationes ad Philosophiam p. 153; Orationes funebres, *ibid*;
Carmina p. 154, 155; Mandata de administrandâ Republicâ p. 157;
Commentaria ad Agrippam & Mecænatem 157; Breviarium im-
perii 157, 177; Rationarium Imperii 158, 178; Memoria vitæ *Drusi*
158; De vitâ suâ libri XIII 158 seqq; Index rerum à se gestarum 163,

seqq; Testamentum 169; Mandata de funere suo 170; Miscellanea incerta 171, seqq. Eximium aliquid attulissent libri, quos de
6.2.p.68. Vitâ suâ conscripsit, istiusque meminit Biographiæ Suetonius: *Ipse Augustus nihil amplius, quàm Equestri familia, ortum se scribit, vetere ac locuplete.* Descripsit *Orbem terrarum*, quod Itinerarium Antonini Pii nos docet; nec non Plinius, qui se *Augusti* ordinem in
43.5.p. partitione Italiæ sequi negat. Ingenii felicitatem *in Poesi* ostendit,
33. scribens quovis carminis genere promtè & eruditè. Fescenninos versus scripsit in Pollionem, qui interrogatus, cur non responderet, *non facile est*, inquit, *in eum scribere, qui potest proscribere.* Lascivioris materiæ versus interdum edidit, quales in Antonium retulit
p.212. in Catalectis Jos. Scaliger, quos supprimendos potius quàm legendos censemus. Sic laudem sumit ex utroque, *faciens scribenda; scribens legenda*; nisi quod felicior fuerit Pater Julius, cujus Commentarii, Principe digni, extant adhuc; Augusti verò non nisi aut nomina operum aut fragmenta supersunt. Maximum onamentum fuit Principis Augusti, nil dicere aut scribere quorum pæniteat, ejus enim etat consuetudo, *non nisi meditata & composita oratione* loqui, apud Senatum, Populum & Milites: imò *sermones cum singulis, atque etiam* cum Liviâ suâ *graviores non nisi in scriptis & è libello habuisse*, quo more Legatos ferè ac Judices loqui solitos notat Herman. Hugo de primâ scribendi origine Præfat. p. 28. Erat & hoc soliciti animi indicium, quod secum haberet libellos, quibus & publica & privata negotia annotabat. Habuit *Breviarium totius Imperii* Suet. cap. 101 p. 158; habuit *Commentarios*, in quo rerum capita tantùm ad juvandam memoriam scribebantur, quos *diurnos Com-*
1.64.p. *mentarios* vocat Suetonius. Agnoscendus ille amor in literas & li-
521. teratos etiam ex Bibliothecarum erectione, in qua augenda or-
lib.53.p. nandaque nihil intermisit. De eo studio Dio: Τό, τε ἐν τῷ Παλατίῳ,
568. καὶ τὸ τεμένισμα τὸ περὶ αὐτὸ, τάς τε ἀποθήκας τῶν βιβλίων, ἐξεποίησε καὶ καθιέρωσε. *Apollinis in palatio templum, ac Bibliothecas perfecit atque dedicavit.* Suasu & instigatione Augusti à C. Asinio Pollione, Romæ in Atrio Libertatis dicata fuit Bibliotheca publica. Deinde duæ Bibliothecæ publicæ ab eodem Augusto fuere dicatæ, Octavia & Palatina. Hoc animo in literatos posita imago fuit M. Varronis ab Augusto in Bibliothecâ, unde Romæ in Bibliothecis

positæ

positæ ab Imperatoribus, & à privatis quoque Imagines Doctorum tam neotericorum quàm veterum, de quo Plinius. Literati non nisi Literatorum Principum sunt, & literatorum honoribus nunquam desunt Principes literati. Qualis Aulæ Rex, talis fortuna Literatorum. Si literatus Rex, sentiunt literæ fortunam. Si in Rege, nec in iis, qui Regem circumstant, literæ sunt, nec tuæ in pretio esse possunt. Si in Rege magis studia sunt, ut bene clangat tuba, cornu infletur venatorium, quàm ut bene cadat versus aut sermo, quid tibi proderit Virgilius aut Horatius. Raró iis studiis favent Principes, quibus ipsi non capiuntur. Doctos liberaliter fovit viros Augustus, & hoc animo cùm esset clementi, ad æstimationem ejus respiciebant alii. *B*enevolentiâ hâc factum est, ut magnum sapientum & eruditorum virorum proventum ætas illa extulerit; solent enim plerunque homines studia principum sectari. Ita cùm Augustus *Poetas* amplecteretur, id genus homines in gratiam Principis plurimi prodierunt. Floruerunt eo florente *Virgilius, Horatius*, alii quos ipse Horatius recensuit, & ad quorum judicium sua scripta probari postulat. Doctos viros in intimam aulam admisit, quosque veluti cohortem quandã palladiam in prætorio secum habuit, quo tanquam satellitio succinctus Imperator augustior prodiret in publicum. Eo regnante, imò cohortante, tot Senatores, tot Duces, tot omnium generum homines, incredibili literarum amore accendebantur, factumque, ut una cùm majestate Romani imperii omnes bonæ disciplinæ accesserint ad summum fastigium, & lingua latina in summo gradu splenduerit. Auxit felicitatem imperii favor insolitus in doctos Viros, quo contigit, *ut paucis annis tantum propè Romana lingua creverit, quantum ab Vrbe condita ipsum creverat imperium*, scribente Sabellico. Ubi Imperatores & Reges sunt literati, ibi literæ florent. Sunt Mecænates, nec desunt, Flacce, Marones. Noli mirari, quod tot docti viri, tot Poetæ claruerunt sub *A*ugusto. Honos aluit artes, & cum honore præmia promoverunt artes. Ubi gratia & præmiorum spes est, excitari solent ingenia atque accendi studia; faventeque Augusto, & vigente Romani imperii fortunâ, clarissima ingenia emerserunt mediâ in Româ, de quo felici proventu Erasmus Michaelius Lætus:

7.30. p. 98.

1. Sat: 10.

Orat. in Liv. col. 48.

Class. 1. Cæsar. Ital. p. 14.

Non

Non tantùm felix hoc tempus pace recepta,
Ingeniis sed erat dulce feraxque bonis.
Virgilius *vixit, vixitque his* Tullius *annis;*
His vitæ lucem Naso *disertus init.*
Tum verò Ausonias numerosus Horatius *aures*
Implet, & acta gravi detinet ora stylo.

Magnus erat Rex Alexander, sed non parum ornamenti huic contulit Aristoteles, ut nesciamus fere, an huic plus profuerit dignitas Aristotelis, quàm subjugata *Asia*, & cæsus Darius potentissimus. Amplissima laus venit *Augusto* ex familiaritate & conversatione Doctorum virorum, in quâ ante oculos obversatur primus omniũ *Virgilius*, sublimis Poeta. Quid esset Augustus, quid Mecænas, nisi Virgilium fortitus fuisset præconem? Laudibus Cæsareis plus adjecit Virgilius & Horatius, quàm monumenta Romæ & alibi erecta, quorum non nisi vix rudera quædam supersunt; inde Petrus Blesensis Epist. 77: *Plus Cæsaris laudibus addiderunt scripta Virgilii & Lucani, quàm omnes divitiæ, quas de diversis mundi provinciis adunavit.* Quanta dignitas fuerit studiorum, & qualem in iis promerendis animum habuerit Augustus, Theodosius Augustus ad Ausonium Epistolâ, quæ præmissa est Poematibus, indicat, inter alia ajens: *Auctores optimi Octaviano Augusto, rerum potienti, certatim sua opera tradebant, nullo fine in ejus honorem multa condentes.* Maximâ voluptate tenebatur in legendis & audiendis Virgilii carminibus Imperator, & scriptum reliquit Tacitus, sive potius Autor Dialogi de corruptâ eloquentiâ Poetam maximo honore habitum ab universo populo Romano, & assurrexisse illi eum auditis versibus in theatro. Verba integra sunt: *Malo securum & secretum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud Divum Augustum gratiâ caruit, neque apud populum Romanum notitiâ. Testes* Augusti Epistolæ, *testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii surrexit universus, & forte præsentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum.* Testis de Epistolis Claudianus Epistolâ ad Olybrium:

c.13. n. 2.3.

v. 23.

Dignatus tenus Cæsar scripsisse Maroni.

Cedite *Romani* scriptores, cedite Graji, Virgilio, quod eruditissimi Poetæ Propertii de summo Poeta nostro est judicium circa finem

nem secundi Elegiarum. Quanti Virgilium æstimaverit Augustus *v. 65.* Cæsar, suis ipse his versibus memoriæ reliquit posterorum:

Vivat Maro clarus in orbe
Ingratusque sibi, sed quod malè jusserat ipse,
Sit vetuisse meum. Sacer est post tempora vitæ,
Sicque erit æternum, *totâ resonante Camœnâ,*
Carmen *& imperii divi sub nomine vivat,*
Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

Gravi huic Augusti de hoc Poeta judicio Horatius, & Lyricorum Princeps & Poeta tersus, subscribit in quâdam ad Augustum Epistolâ scribens: *2. Ep. 1. v. 245.*

At neque dedecorant tua de se judicia atque
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius Variusque *Poetæ.*

In tantis delitiis habuit Virgilium, ut ejus diem natalem, qui fuit Idibus Octobris, quotannis celebraret Augustus, & quibusdam velut ceremoniis veneraretur. Ex eâ apud Cæsarem felicitate Virgilius per omnia se secula victurum præsagit; gaudetque *ore Principis* sibi esse non mediocrem amplitudinis & decoris laudem. Moriturus Virgilius fæcundas laborum suorum vigilias Vulcano perdendas committere voluit, Augustus verò posteritati hâc parte consuluit; quod enim adhuc hodie habemus *Æneidem Virgilii*, charum admodum opus & auro pretiosius, id magis conservatori Augusto quàm autori Virgilio debemus, nam cum testamento mandasset Virgilius ejus combustionem, vetuit id fieri Augustus. Testatur id Plinius: *Divus Augustus carmina Virgilii cremari contra* *7,30. p.* *Testamenti ejus verecundiam vetuit; majusque ita Vati testimonium* *98.* *contigit, quàm si ipse carmina sua probavisset.* Quantum hinc debemus Augusto, quod augustum Poetæ opus possidemus! Virgilius verè augustus Poeta, imò *P*oetarum *P*ater, quem certatim alii sunt imitati *P*oetæ, tanquam Regem aliquem aut Jovem, è quibus Statius pulcherrimè imitatur & festivè *P*oetam, in fine tamen operis sui ita exclamat:

O mihi bis senos multùm vigilata per annos
Thebaï, vive precor, nec tu divinum Æneida tenta,
Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

Quò rarior est familiaritas in Augustis, hoc admiranda & laudanda magis est, maximè erga *Poetas*, quibus rarò contingit esse felicibus. Familiariter Augustus cum *Virgilio* & *Horatio* vixit, nec in alios ferè promtior, unde cùm aliquando videretur Princeps sedere medius inter utrosque *Poetas*, dixerat, se sedere inter *lachrymas* & *suspiria*, Virgilius enim suspiria traxerat, Horatius lippientes oculos habuerat. Horatius habitu corporis brevis & obesus fuerat, qualis à seipso & in Satyris describitur, & ab Augusto Cæs. lepidâ ad *Poetam* Epistolá, quam nobis servavit Suetonius in vitâ
pag.33. Horatii, & retulit Rutgersius, sed vitiatam. Scitè Augustus: *Vereri*
2.Var. *mihi vereris, ne majores libelli tui sint, quàm ipse es; sed si tibi statura*
Lect.19. *deest, venter abunde est.* Animus Virgilii & Horatii quàm fuerit
p.149. conjunctissimus, quod rarum aliâs esse solet inter Poetas, testabi-
175. tur *Propempticum* Horatii, scriptum & dicatum Virgilio Athenas proficiscenti:

Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor,
Et serves animæ dimidium meæ.

Arte & Marte valuit *Horatius*, nam non solùm *Athenis* in Græ-
2.Epist. cia, ubi literis operam dedisse ipse de se memorat, coluit adole-
ult.v.43. scens Brutum, sed & sub eo Tribunus militum civili bello milita-
ibid.v. 46. vit, apud Philippos fugatus, uti ipse confitetur, scribens:

Dura sed amovêre loco me tempora grato
Civilisque *rudem* belli *tulit æstus in arma,*
Cæsaris Augusti non responsura lacertis;
Unde simul primùm me dimisêre Philippi,
Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris & fundi, paupertas impulit audax,
Ut versus facerem.

Victis apud Philippos Bruto & Cassio omnia sua bona amiserat, unde lepidè ait, sibi fuisse *decisas pennas*, civium enim qui partes Bruti fuerant secuti, bona *Augustus* publicaverat. Mutata post fuit ea fortuna, in gratiam receptus Poeta pauper, Mecænatis domesticus, Cæsari ita gratus, ut & *lepidissimus homunico* ab eo diceretur, & *ab Epistolis* eum habere optaverit. In umbra tamen maluit esse & secessu,

ſeceſſu, quàm in aula *Horatius*, quem ſibi *ab Epiſtolis* voluit eſſe Cæſar, nec obtinuit tamen, teſtis enim Suetonius Horatio fuiſſe oblatum Epiſtolarum Officium, ſed ab eo recuſatum. Oblatum nomine Principis per Mecænatem, cui ſcripſerat Auguſtus: *Ante ipſe ſcribendis Epiſtolis amicorum ſufficiebam, nunc occupatiſſimus & infirmus*. Horatium noſtrũ *à te cupio abducere. Veniet ergo ab iſta paraſitica menſa* (ſic ludit de Mecænatis domeſtico) *ad hanc Regiam, & nos in ſcribendis Epiſtolis juvabit*. Recuſanti ſcribit irarum procul: *Neque ſi tu ſuperbus amicitiam ſpreviſti, ideo nos quoque ἀνθυπερηφανοῦμεν*. Quid gratius aut leniùs poterat ſcribi abs tanto Heroe? Rogatus ab Auguſto Horatius, ut in Druſi, Privigni ſui, gratiam librum quartum Carminum ederet, excuſat ſe, quod jam quinquaginta annos natus ad lyrica carmina, quæ amores continent, jam ſit ſegnior, Ode 1 lib. 4. ubi Acro p. 495: *Quartum librum ſcribere compulſus eſt ab Auguſto, in laudem privigni ſui Druſi, qui victor de Rhetis Vindelicis fuerat reverſus*. Dignabatur maximè Horatium Mecænas, primaque vox carminum Horatianorum eſt *Mecænas*, cujus beneficio multùm debuit, cùm enim militaſſet ſub Bruto Tribunus militum, captuſque fuiſſet, beneficio Mecænatis non ſolùm ſervatus, ſed & in amicitiam receptus fuit; quapropter Mecænati & Auguſto *in omnibus ſcriptis ſuis venerabiliter aſſurgit*, ut habet Autor Vitæ, quæ editionibus præmitti ſolet. Nulla fuit felicior & pretioſior poſſeſſio Virgilio & Horatio, quàm poſſediſſe Mecænatem, nulla auguſtior quàm habuiſſe Auguſtum, qui latitantes eduxerunt, timidos erexerunt, vitæ ſubſidiis deſtitutos ſuſtinuerunt. Tantum ſibi nomen paravit *Mecænas* ex propenſitate & munificentia in Literatos, ut ab ejus etiamnum nomine omnes Literarum Patroni *Mecænates* dicantur. Animum propenſum cunctis in rebus oſtendit erga Virgilium & Horatium *Auguſtus*; ſed gravi offenſâ, quod mireris, *in Ovidium* fuit, quem in exilium truſit. Amiſerat domum, reliquerat uxorem, exulabat patriâ, hiſque in miſeriis ſolatur incommoda vitæ *bonis*, ut vocat, *ingenii* nondum amiſſis, nec adimendis, vel quavis fortunæ tempeſtate iniquâ. Omnia ſua ſecum portans canit,

in Vitâ Hor. p. 32.

3. Triſt. 7. v. 49.

Ingenio tamen ipſe meo comitorque fruorque,
Cæſar *in hoc potuit juris habere nihil.*

De causâ exilii Gobelinus Persona Cosmodr. æt. 5. c. 21. p. 123. *Augustus Ovidium damnavit exilio propter libros, quos fecit de Amore. Ovidio tamen visum est, quod illud fecerit ex odio, quia fortè in quibusdam factis suis Ovidius notavit, nam idem Ovidius secundo libro Tristium dicit: Arguor obscæni doctor adulterii.* Ovidii ingenium ferre potuit, non potuit carmen & anquisitionem. Carmen Ovidio, uti gladius acutus in manu furiosi. Incautè egit Poeta, cujus admonitionem liberiorem ferre non potest Augustus. Eruditos dilexit, sed Magistrum amorum ferre nequit. Tristissimus Vatum libro secundo Tristium memorat, quàm accepta fuerint Poemata sua Augusto, saltata etiam populo.

Et mea sunt populo saltata poemata sæpe; v. Barth. in 5. Statii
Sæpe oculos etiam detinuêre tuos. (Thebaid. p. 470.

Libri Fastorum ab Ovidio, cùm adhuc Romæ esset, erant destinati Augusto, verùm in exilio eos emendatos dedicabat Germanico, ad quem v. 3.

Excipe pacato Cæsar Germanice *vultu*
Hoc opus, & timidæ dirige navis iter.

5. Trist. 4.28.

Dissert. de Princ. bono p. 14.

Deplorat *ferream difficilemque sortem vitæ* Ovidius, Bacchumque orat, ut *flectere tentet* Numine suo *Cæsareum Numen*, v. 46. Ægrè fert exilium Ovidii Barlæus, Poeta ferè solo Virgilio minor, miseratusque vicem Poetæ dicam scribit Augusto. *Illud, Auguste Cæs. condonare non possum crimen, quod* Ovidio Nasoni, *ad Tomos exsuli, implacabilem te præstiteris. Non te cælestes illi Elegi, non tot libelli supplices in Parnasso scripti flectere potuerunt, non ille versus toto Imperio Romano nobilior:* Flectitur iratus voce rogante Deus. *Jacuere ante pedes tuos Musæ, Iovis Filiæ; jacuit Apollo, jacuere Gratiæ omnes, pro Nasone per ipsum Nasonem locutæ. Nempe videri volebas scurriles Poetæ versus odisse, quos sicuti execror, ita illud in te execror, quod facere malueris illa, quæ Poeta lascivius scripsit.* Et Barthius in 11. Thebaid. Statii v. 42. p. 1298. *Nemo suavius & penetrantius Ovidio unquam infortunia sua vel aliena dequestus est; & omni lapide durior fuit Augusti animus, qui, si non planè condonare, quod utrique & poterat & debebat, culpam, remittere tamen exsilii atrocitatē uno verbo debebat illiquenti tam ingenuis lamentationibus tanto ingenio.*

Hist. sept. p. 79.

Indignus Vates, quem *Cæsaris ira Latio cedere jussit humo,* uti extat in Epitaphio, apud Laur. Mullerum.

